F. HYACINTHI PETRONIJ ORD. PRAEDICATORUM ... OPUSCULUM DE...

Giacinto Petroni

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
16 C
26

F. HYACINTHI PETRONII

ORD. PRÆDICATORVM

SACRI APOSTOLICI PALATII MAGISTRI

OPVSCVLVM DE NECESSITATE PRAECONVERSIONIS AQVAE IN VINVM

IN CONFECTIONE SACRAMENTI SANGVINIS CHRISTI.

ROMÆ, Apud Iacobum Maſcardum. MDCXXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

GREGORIO XV.

PONT. OPT. MAX.

F. HYACINTHVS PETRONIVS

Ordinis Prædicatorum Sacri Apoſtolici Palatij Magiſter F.

NEC meæ, in auitæ Religionis integritate ſeruanda, vigilantiæ fœtus hic, ex Muneris, quo fungor, debito, & Pauli V. felic. record. voluntate conceptus olim, in priuatis latebris cohiberi diutius potuit, quin erumperet, ſeque multorum votis proderet: Nec ipſi veluti, prope dixe-

rim, pupillo auguſtiſſimi Euchari-
ſtiæ Sacramenti vindici, alius au-
cupandus patronus erat, præter
te P. B. quem Deus pari loco, &
ſtudio in vniuerſam Chriſtianam
Remp. voluit feliciter ſubrogare,
autoritate ſupremum, dignitate
maximum & Authoris eiuſdem
Sacramēti Vicarium. Haud igno-
ro, minimum hoc, in tanta luce
faſtigij ac meritorum, extare non
poſſe; Verùm tantillo clienti, effu-
ſo potius ΠΑΡΑΤΥΧΩ'Ν, quam pro-
creato, conciliabit, ſpero, apud
te gratiam vetus eius, & anno-
ſa mater, ipſiſſima ſcilicet Veritas
illa, Quæ ſemel fuit tradita: &
aureum quendam nitorem indu-
cet ſuauiſsimi Pontificis viuidus
afflatus. Qua ego maxima iuſtiſ-
ſimaque

ſimaque cauſa adductus, dum minimum tribuo, ſimul etiam fateor nihil eſſe magnum, illuſtre, præclarum, quod non debere me, tanto ſeruitutis autoramento obſtrictum, quod non deberi Tibi, magnitudine virtutis & honoris, apud omnium animos, ſentiam debere eſſe teſtatum. Vale.

INDEX

INDEX CAPITVM

Quæ in hoc Opuſculo continentur.

CAPVT PRIMVM.

IN quo titulus explicatur, & ſtatus Difficultatis aperitur. pag. 1

CAPVT SECVNDVM.

Quid de tranſitu aquæ in vinum, in confectione Sacramēti Sanguinis Chriſti, aliqui Recentiores ſentiant. 5

CAPVT TERTIVM.

Quid ſecundum Catholicam Veritatem, in propoſita difficultate ſentiendum ſit, ſtatuitur. 8

CAPVT QVARTVM.

Demonſtratur Aquam, quæ in confectione Sacramenti Sanguinis Chriſti, vino miſcetur, nullo modo poſſe eſſe materiam confectionis, aut conſecrationis eiuſdem Sanguinis. 11

CAPVT QVINTVM.

Proponitur ſecundum Argumentum, ad idem euidenter probandum, ex ſacro Concilio Tridentino. 17

CAPVT

CAPVT SEXTVM.
Expenditur, & confutatur explicatio, quam adhibent prædicto Canoni ſacri Concilij Tridentini, quidam ex Autoribus oppoſitæ opinionis. 22

CAPVT SEPTIMVM.
Proponuntur alia efficacia Argumenta, ad eandem Veritatem comprobandam. 33

CAPVT OCTAVVM.
Affertur prima ſolutio Autorum oppoſitæ Opinionis, & validiſſimis rationibus confutatur. 42

CAPVT NONVM.
Examinatur alia ſolutio eorumdem Autorum, & vt à veritate aliena, ſolida doctrina reijcitur. 48

CAPVT DECIMVM.
Occuritur alteri eorumdem Autorum reſponſioni. 52

CAPVT XI.
Impugnatur vlterius eadem Opinio, ex multis abſurdis, quæ ex ipſa ſequuntur. 55

CAPVT XII.
Eccleſiaſticorum Doctorum vnanimi conſenſu, & autoritate, vera ſententia probatur. 61

CAPVT XIII.
Probatur noſtra Sententia peculiariter, autoritate Cardinalis Baronij. 76

CAPVT

CAPVT XIV.
Primum argumentum Autorum contrariæ Opinionis, ex iure Canonico Cap. cum Marthæ, de celebratione Miſſarum, proponitur & ſoluitur. 90

CAPVT XV.
Alia duo argumenta eorumdem Doctorum, ex autoritate Concilij Triburienſis, & Sanctorum Patrum deſumpta, proponuntur, ac diluuntur. 98

CAPVT XVI.
Referuntur, & ſoluuntur argumenta, ex quibuſdam autoritatibus S. Thomæ confecta. 104

CAPVT XVII.
Reliqua eorumdem Autorũ argumenta refelluntur. 115

CAPVT XVIII.
Pauli Areſij philoſophica fundamenta, quibus innixus, aquæ in vinum conuerſionem negat, diruuntur. 131

OPV-

OPVSCVLVM DE NECESSITATE CONVERSIONIS AQVÆ IN VINVM.

In Confectione Sacramenti Sanguinis Chriſti Domini.

CAPVT PRIMVM.

In quo Titulus explicatur, & ſtatus Difficultatis aperitur.

IN CONFECTIONE Auguſtiſſimi Sacramenti Sanguinis Ieſu Chriſti, Saluatoris noſtri, eſſe aquam vino admiſcendam, ita certum eſſe debet; vt nefas ſit alicui Catholicorum de hac veritate dubitare: tum quia, ita Chriſtum Dominum, Sacramentorum legis gratiæ auctorem, in eius inſtitutione feciſſe, habetur in Liturgia S. Iacobi Apoſtoli, cuius mentionem facit Concil. Trullanum can. 32.

vbi legitur: *Poſtquam cœnauit, accipiens calicem, & permiſcens ex aqua, & vino, & benedicens dedit &c.* Et in Concilio Bracarenſi 3. can. 1. cuius verba referuntur de conſecrat. diſt. 2. capit. *non oportet*. vbi dicitur: *Non oportet aliquid aliud in Sacramento offerri, præter panem, vinum, & aquam*. Et in Concilio Carthaginenſi 3. can. 24. quod refertur de conſecrat. eadem diſt. capit. *in Sacramento*. vbi ſic dicitur: *In Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quam ipſe Dominus tradit, hoc eſt, panis, & vinum aqua mixtum*. Et in Concilio Florentino de vnione Armenorum, in decreto Eugenij 4. vbi habetur: *Aqua autem, ideo admiſcetur, quoniam iuxta teſtimonia ſanctorum Patrum, ac Doctorum Eccleſiæ pridem in diſputatione exhibita, creditur ipſum Dominnm in vino aqua permixto, hoc inſtituiſſe Sacramentum*. Et in Concilio Tridentino ſeſſ. 22. cap. 7. in quo legitur: *Monet deinde ſancta Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia ſacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miſcerent, tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur, tum etiã quia è latere eius aqua ſimul cum ſanguine exierit*. Et ita Prouerbiorum 9. vt refert S. Thom. ad hoc propoſitum 3. p. q. 74. art. 6. in fine corporis

dici-

dicitur: *Bibite vinum, quod miſcui vobis*. Tum etiam, nam ex Apoſtolica traditione, vſque ad hæc tempora fideliter deriuata, vnanimi ſanctorum Patrum conſpirante cõſenſu, id ipſum accepimus: quod inter alios tradunt S. Clemens lib. 8. conſtit. Apoſtol. cap. 17. S. Irenæus lib. 4. cap. 57. S. Cyprianus lib. 2. Epiſt. 3. Et quamplures alij SS. Patres, & Doctores, quos referunt Cardinalis Belarminus tom. 2. controuerſ.. lib. 4. de Sacramento Euchariſtię cap. 10. & Ioannes Azor inſtitut. moralium p.p. lib. 10. cap. 30. quod etiam clariſſimis verbis docet Alexander Papa in Epiſtola ad òmnes fideles, quæ habetur tom. 1. Conciliorum, & de Conſecrat. diſt. 2. capit. *In Sacramentorum*, vbi ſic ſcribit. *In Sacramentorum oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, Paſſio Domini miſcenda eſt: vt eius, cuius Corpus & Sanguis conficitur, Paſſio celebretur: ita in repulſis opinionibus ſuperſtitionum, panis tantum & vinum aqua permixtum in ſacrificium offerantur. Non enim debet (vt à Patribus accepimus, & ipſa ratio docet) in Calice Domini, aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed vtrumque permixtum, quia vtrumque ex latere eius, in Paſſione ſua profluxiſſe legitur.*

Neque etiam in præſenti, de eiuſdem aquæ

quantitate, vel portione, vino conſecrãdo miſcenda, agendum eſt. Sacra enim Concilia, præcipuè Florentinum de vnione Armenorum, clariſsimè decreuerunt, eam in modiciſſima quantitate eſſe vino permiſcendam: quam veritatem omnes non ſolum ſancti Patres, ac Doctores, ſed vniuerſi Catholici Theologi amplectuntur.

Idque etiam conſtat ex cap. pernitioſus de cęlebr. Miſſarum d. 2. vbi dicitur. *Pernitioſus in tuis partibus inoleuit abuſus, videlicet, quod in maiori quantitate de aqua in Sacrificio ponitur, quam de vino; cum ſecundum rationabilem conſuetudinem Eccleſiæ generalis, plus in ipſo ſit de vino, quam de aqua ponendum.*

His igitur, duobus certiſsimis ſuppoſitis, Alia peculiaris nobis Controuerſia, inſtituenda, ac dirimenda eſt.

Vtrum ſcilicet, illa modiciſsima aqua, quę vino, ex Eccleſiæ præcepto in confectione Sacramenti ſanguinis Chriſti, admiſcetur, debeat ante conſecrationis tempus in vinũ tranſijſſe; ita vt ſi in ipſum tunc non ſit conuerſa, remaneat aqua ſpeciebus vini circunfuſa: An verò in eodem momento, ex vi verborum, immediate in ipſum Chriſti Domini Sanguinem conuertatur,

tur,

tur, & tranſeat, ſicut ipſum vinum vitis, quod eſt vera materia eiuſdē Sacramenti vt Fides docet, & habetur ex illo Matth. 26. & Marci 14. *Non bibam amodò de hoc geniminе vitis.*

Quare hic erit noſtræ huius tractationis ſcopus, vt in re tanti momenti, & Sacramenti, Quid pura Catholica Fides, Quid Orthodoxæ Sacrorum Conciliorum Sanctiones, Quid Sanctorum Patrum ſana doctrina, Quid antiqua Catholicorum ſcholaſticorum conſenſio, fidelibus tradat, Quid demum Catholicis Theologis ſentiendum ſit, aperiamus.

CAPVT SECVNDVM.

Quid de tranſitu aquæ in vinum, in confectione Sacramenti Sanguinis Chriſti, aliqui Recentiores ſentiant.

NONNVLLI Theologi, pro certo habent, ſpectatis naturæ viribus, nunquam aquam, quamtumuis modicam, in vinum tranſire poſſe, idque quibuſdam infirmis rationibus, atque experientijs demonſtrare contendunt, quas etiam nos infra in medium afferemus & confutabimus. Hoc ergo Philo-

ſophico principio velut certo, ac firmo iacto fundamento, Theologi cum quoddam ædificium deſuper extruunt, de Sacramento Euchariſtiæ, & Sanguinis Chriſti confectione tractantes. Ex eo enim, quadam in eorum mentibus excitata curioſitate, inueſtigant quidnam fiat ex illa modica aqua, quam Sacerdos, ex Eccleſiæ præcepto, vino admiſcet in confectione Sacramenti Sanguinis Chriſti. Et cum ex vna parte, iam eorum intellectus conuictus ſit, aquã naturæ viribus, nunquam in vinum tranſire; ex alia vero, in confectione materiæ ad Sacramentum Sanguinis Chriſti neceſſariæ, nullum ante conſecrationem miraculum intercedere, ſed ſolum naturam proprijs viribus operari; ſtatim in eam ſententiam cadunt, modicam illam aquæ guttam, ante illud conſecrationis tẽpus, in vinum immediate non eſſe conuerſam. Quoniã verò ad alias maiores difficultates ex præfata opinione, (vt ipſis videtur) ſe deductos agnoſcunt, nimirum poſt conſecrationẽ, prædictam aquę portiunculam, ſuperſtitem, à vino ſeiunctam in calice remanere, atque adeò idolatrię cauſam fideli populo exinde præberi; aliud inuentum excogitarunt, nimirum eam aquæ quantitatem, quæ

con-

conſecrationis tempore in vinum,cui admixta erat,conuerſa non eſt,tunc conuerti immediate in Sanguinem Chriſti, ex virtute ipſorum verborũ conſecrationis. Ita aſſerit Pater Aegidius de Coninck Societatis Ieſu, in ſuo tractatu de Sacramentis, ac cenſuris tom. 2. q. 74. art. 8. dub. vnico, quam opinionẽ, Camillus Areſius vt tueatur lib. 1. de genera. cap. 10. q. 52. ſect. 2. multis auctoritatibus, & rationibus, atque experientijs, de quibus infra, conatur ſtabilire tamquam principium indubitatum, Aquam nunquam tranſire in vinum.

Huic opinioni videtur adhærere Cardinalis Toletus in inſtruc. Sacerdotum lib. 2. cap. 25. num. 3. vbi ſic ait. ***Cum vino eſt quantitas parua aquæ adhibenda, quæ ſimul eſt materia, ſiue ſit conuerſa in vinum, ſiue non.***

Demum Cardinalis Alanus, ex parte eãdem tradit doctrinam lib. 1. de Sacramento Euchariſtiæ cap. 15. quamuis enim ipſe credat huiuſmodi aquam regulariter, & vt in plurimùm in vinum conuerti, & inde in ſanguinem; arbitratur tamẽ, quod ſi accidat aliquando tempore conſecrationis ipſam, vel ob vini imbecillitatem, vel craſſitiem, vel tẽporis breuitatem, in vinũ non eſſe conuerſam, in ipſum Chriſti

domini ſanguinem, tunc immediatè tranſire: ſic enim dicit: *Probabilius eſt, quod omnium plane Eccleſiaſticorum ſcriptorum iudicio defenditur, aquam modicè infuſam, in vini ſubſtantiam prorſus deſinere, & tamen ſi id non fieret, ſed exiſteret aqua, in varias & abditas vini partes diffuſa; facerent nihilominus vnum non ſpecie, ſed permiſtione, & totum illud, modo vinum prædominantem obtineret, conuerteretur in ſanguinem Dominicum; idque certa fide tenendum eſt, vtcumque illud aliud, cum in naturæ obſcuritate poſitum ſit, ignoretur*. Hactenus de narratione præfatæ opinionis. Opere pretium nunc eſt vt an illa cum communi Catholicorum, & Eccleſiaſticorum Doctorum ſententia, & iudicio conſentiat, videamus.

CAPVT TERTIVM.

Quid ſecundum Catholicam veritatem in propoſita difficultate ſentiendum ſit, ſtatuitur.

NON opus eſt multis; ad huius rei veritatem inueſtigandam, ac decernẽdam. Quare pauciſſimis, ijſdemque clariſſimis verbis, eam in præſenti capite vnica Propoſitione com-

comprehenſam afferemus, quæ eſt huiuſmodi.

AQVA, quæ in cõfectione Sacramenti Sanguinis Chriſti, ex præcepto Eccleſiæ modiciſſima vino, ante conſecrationem, admiſceri debet, ſi conſecrationis tempore in vinum non ſit conuerſa; nullo modo in Chriſti Sanguinẽ immediate conuertitur, ſed in tali caſu remanet aqua, accidentibus vini præcedentis circumfuſa.

Hæc propoſitio certiſſima omnino eſt, & indubitata apud omnes Theologos, & Canoniſtas vno Cardinali Alano, & Toleto, & paucis quibuſdam recentioribus exceptis, eſtque maximè conformis Sacris Concilijs, Decretis Summorum Pontificum, & Sanctis Patribus.

Potiſſima, ac fundamentalis ratio huius veritatis eſt. Nam illud tantum immediatè conuertitur in Sanguinẽ Chriſti, quod eſt propria & idonea materia, ab ipſo Chriſto ad cõfectionem huius Sacramenti Sanguinis ſtatuta, & ab ipſo in vltima cęna tradita, & conſecrata. Sed aqua nullo modo eſt materia in tali confectione, ergo non poteſt talis aqua immediatè conuerti in Sanguinem Chriſti.

Certè hæc ratio in hac materia demonſtratiua eſt. Maior enim propoſitio, à nemine

in

in dubium reuocari poteſt; nam verba conſecrationis, ſolum habent vim tranſubſtantiandi in Chriſti Sanguinem illud tantum, quod eſt vera materia huiuſmodi conſecrationis, ſicut etiam ex ipſa Chriſti Domini inſtitutione, & Sacro Euangelio, vinum vitis tamquam veram materiam in confectione talis Sacramenti conſecrandam habemus; dicitur enim Matthæi 26. & Marci 14. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis*, quemadmodum in confectione corporis, verba conſecrationis, habent ſolum vim tranſubſtantiandi ſolum panem triticeum, quia ſolus ille eſt vera materia conſecrationis Sacramenti Corporis, ab eodem Chriſto Domino in præfata vltima cœna inſtituta. Neque alia ratione vtuntur omnes Theologi, ad oſtendendum eſſe impoſſibile alium quemcumque liquorem, à vino vitis diſtinctũ eſſe conſecrabilem, niſi hunc; quia nimirum, nullus alius liquor eſt vera, propria, ac idonea materia conſecrationis calicis. Imo vero Romanus Pontifex Iulius primus, vt habetur de conſecrat. diſt. 2. cap. *Cum omne*, repræhendit quoſdam, qui contra diuinos ordines, & apoſtolicas traditiones, lac pro vino in diuinis ſacrificijs ponebant: non alia profecto ratione; niſi,

niſi, quia lac non eſt vera, nec idonea materia talis Sacramenti,ſicut nec eſt omphacium, aut acetum, vinum malorum generatorũ, vel mororum, &c. vt docet S.Thom. 3. p.q. 74. art. 5. ad 1.& 3. Conſequentia verò prædictæ demõſtrationis,euidenter ſequitur ex pręmiſſis. Difficultas autem, tota videtur ſita eſſe in minori propoſitione præfati argumenti: Quare oſtendendum nobis erit, aquam nullo modo eſſe poſſe materiam conſecrationis ſanguinis, quod ſi fecerimus, euidenter profectò demonſtrabimus, nulla ratione, neque in vllo caſu, immediate in Chriſti Domini Sanguinem, ipſam conuerti poſſe.

CAPVT QVARTVM.

Demonſtratur aquam, quæ in confectione Sacramenti Sanguinis Chriſti vino miſcetur, nullo modo poſſe eſſe materiam confectionis, aut conſecrationis Sanguinis Chriſti.

ADEO' firmiter in ſacris Concilijs veritatem hanc fundatam exiſtimo, vt non minus eorumdem ſolidis auctoritatibus, quam rationum momentis, eam fulciri in aperto ſit.

In

In primis enim Concilium Florentinum, loco citato de vnione Armenorum, in decreto Eugenij Papæ Quarti, Cuius initium eſt. *Exultate Deo auditori noſtro*, inter edendas ſanctiones de Sacramentis, hanc habet expreſſam. *Tertium eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cuius materia eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem, aqua modiciſſima miſceri debet. Aqua autem ideo admiſcetur, quoniam iuxta teſtimoniu Sanctorum Patrum, ac Doctorum Eccleſiæ, pridem in diſputatione exhibita, creditur ipſum Dominum in vino aqua permixto, hoc inſtituiſſe Sacramentum. Deinde, quia hoc conuenit Dominicæ paſſionis repræſentationi. Inquit enim beatus Alexander Papa quintus à Beato Petro. In Sacramentorum oblationibus, quæ intra Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, panis tantum, & vinum aqua permixtum in ſacrificium offerantur. Non enim debet in calicem Domini, aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed vtrumque permixtum: quia vtrumque idest ſanguis, & aqua ex latere Chriſti profluxiſſe legitur. Tum etiam, quod conuenit ad ſignificandum, huius Sacramenti effectum, quia eſt vnio populi Chriſtiani ad Chriſtum. Aqua enim populum ſignificat, ſecundum illud Apocal. Aquæ multæ populi multi. Et Iulius Papa, ſecundus poſt beatum*

Silue-

Silueſtrum, ait: Calix dominicus, iuxta canonum præceptum, vino & aqua permixtus debet offerri; quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero oſtendi ſanguinem Chriſti: ergo cum in calice vinum, & aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & Fidelium plebs, ei, in quem credit, copulatur, & iungitur. Cum ergo, tam Sancta Romana Eccleſia, à beatiſſimis Apoſtolis Petro, & Paulo edocta, quam reliquæ omnes Latinorum, Græcorumq. Eccleſiæ, in quibus omnis ſanctitatis, & doctrinæ lumina claruerunt, ab initio naſcentis Eccleſiæ ſic ſeruauerint, & modo ſeruent; inconueniens admodum videtur, vt alia quæuis regio, ab hac vniuerſali, & rationabili diſcrepet obſeruantia. Decernimus igitur, vt etiam ipſi Armeni, ſe cum vniuerſo orbe Chriſtiano conforment; eorumq. Sacerdotes in calicis oblatione paulum aquæ (prout dictum eſt) admiſceant vino. In quibus verbis, intendit ſacrum Concilium, declarare expreſſe veram, & propriam materiá Sacramenti Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie, & & docet eam in ſolo pane triticeo, & vino de vitæ conſiſtere, cui poſtea vult modiciſſimam aquam eſſe admiſcendam: Ergo ſacrum Concilium, nullo modo vult aquam eſſe materiam, aut commateriam, aut partem materiæ, ſed ſolum aliquid extrinſecum veræ materiæ adiunctum

iunctum, ad ſignificandum, vt inquit Sacrum Concilium, populum fidelem incorporandum Chriſto Domino &c.

Quod autem Concilium in illis verbis *vinum de vite*, aſſignet abſolutè totam materiam Sacramenti Sanguinis, non autem partem tantum materiæ, patet; nam ſi ſolum partem materiæ deſcriberet, quia aqua ingreditur ſocietatem materiæ, nempe vini; certè S. Concilium dixiſſet, vinum eſſe partem materiæ, quod tamen non facit, ſed dicit abſolutè materiam eſſe vinum de vite: ergo contra mentem Concilij eſt aſſerere, aquam eſſe aliquo modo materiam, ſeù partem materiæ confectionis Sacramenti Sanguinis.

Explicatur magis ſenſus verborum S. Concilij, eiuſdemque intentionis veritas; nam eo ipſo, quod dicit *cui* ſcilicet vino *ante conſecrationem aqua modiciſſima miſceri debet.* manifeſte declarat, aquam eſſe extra materiam conſecrationis Sanguinis.

Conſtat id manifeſtius appoſito, & ſimillimo exemplo in Sacramẽto baptiſmatis, ſi enim aſſignetur materia talis Sacramẽti, vt exercetur in Eccleſia, dicendo. Materia Sacramenti baptiſmatis eſt Aqua naturalis, cui ſacrum oleum

eſt

eſt infundendum, & admiſcendum; certè nullus dicere poſſet, ſacrum oleum eſſe materiam baptiſmatis: nam in primis illis verbis deſcribitur tota vera materia Sacramenti baptiſmatis cum dicitur, Aqua naturalis eſt materia Sacramenti baptiſmatis: ergo quando Concilium dicit, Vino, quod ſtatuit materiam Sacramenti Sanguinis Chriſti, aquam debere miſceri; non poteſt intelligi, aquam eſſe aliquo modo materiam, aut partẽ materię conſecrationis Sacramenti Sanguinis; nam id, quod miſcetur materiæ, non eſt materia, ſed aliquid extraneum à materia.

Præterea ſi ſacrum Concilum voluiſſet mixtionem aquæ, eſſe de eſſentia Sacramenti Sanguinis, eamque eſſe materiam, ſiue commateriam, certè non dixiſſet abſolutè *vinum de vite* eſſe materiam, ſed vinum mixtum aqua, ſicut prius dixerat materiam Sacramenti confirmationis, eſſe oleum mixtum balſamo, quod tamen non facit: ergo &c.

Et deniq; nam S. Conciliũ loco citato, ſic ait: *Forma huius Sacramenti ſunt verba Saluatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum. Nam ipſorum verborum virtute, ſubſtantia panis in*

corpus

corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem conuertuntur. Ita tamen, quod totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini; ſub qualibet quoque parte hoſtiæ conſecratæ, & vini conſecrati, ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus. Ex hac Catholica doctrina patet, Sacrum Concilium apertiſſime docere, in confectione Sacramenti Sanguinis, tantum quod eſt ſubſtantia vini eſſe materiam, quia tantum id, quod eſt ſubſtantia vini conuertitur; huiuſmodi autem ſubſtantia, non eſt ſubſtantia aquæ: ergo aqua iuxta Sacrum Concilium Florentinum, nullo modo dicenda eſt materia, aut commateria Sacramenti Sanguinis. Imò ſi aqua tamquam materia, aut commateria in Sanguinem Chriſti immediatè conuerteretur, totus Chriſtus non ſolum eſſet ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini, ſed totus eſſet ſub ſpecie aquæ; quia cum dicunt oppoſitæ ſententiæ Auctores, aquę ſubſtantiá conuerti immediatè in ſanguinem, conſequenter neceſſario aſſerunt ſpecies accidentales aquæ ſupereſſe: hoc autem aſſerere manifeſte pugnat cum verbis ſacri Concilij: ergo &c.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

Proponitur Secundum argumentum, ad idem euidenter probandum, ex ſacro Concilio Tridentino.

SECVNDVM argumentum ad præfatam veritatem euidenter demonſtrandam, deſumitur ex ſacro Concilio Tridentino ſeſſ. 13. can. 2. vbi, damnans hæreſim negantium tranſubſtantiationem verę materię Sacramenti Euchariſtię, in corpus & Sanguinem Chriſti, nullam prorſus aquæ mentionem facit: qua in re, certè dminutum fuiſſet ſacrum Concilium, ſi aqua eſſet aliqua ratione materia Sanguinis: non enim tradidiſſet integram, & abſolutam materiam Sacramenti Corporis, & Sanguinis Chriſti, quod impium, & erroneum eſt. Verba autem præfati canonis hæc ſunt. *Si quis dixerit in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, manere ſuaſtantiam panis. & Vini, vna cum Corpore, & Sanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti; negaueritquè mirabilem illam, & ſingularem conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis, & vini, quam quidem conuerſionem, Catho-*

lica Ecclesia aptiſſime tranſubſtantiationem appellat, anathema ſit. Ex quibus verbis formatur hoc efficax argumentum. Id quod ſecundum Concilium Tridentinum à Catholico credendum eſt conuerti in Sanguiuem, eſt ſola ſubſtantia vini; ſed aqua nullo modo eſt ſubſtantia vini, etiamſi talis aqua habeat colorem, & ſaporem vini, ac proinde reputetur, & exiſtimetur vinũ: ergo talis aqua iuxta verum, ac germanum ſenſum ſacri Concilij, nullo modo conuertitur immediate in Sanguinem, niſi prius ſit conuerſa in ſubſtantiam vini, & conſequenter nullo modo eſt materia. Maior, eſt ipſe Canon ſacri Concilij, Minor verò cum conſequentia, eſt euidens.

Confirmatur præcedens ratio. Primo. Nam ſacrum Concilium ait, poſt conſecrationẽ, manere ſolum ſpecies panis, & vini; ita vt ſub ſpeciebus panis ſit Corpus Chriſti, & ſub ſpeciebus vini ſit Sanguis; ſed ſi aqua immediatè conuerteretur in Sanguinem, ſub ſpeciebus aquæ eſſet Sanguis, & conſequenter etiam remanerent ſpecies aquæ, quod directè eſt cõtra Conciliũ: ergo nullo modo aquæ ſubſtãtia, ſed ſolius vini ſubſtantia in Sanguinen tranſit; cum ſolum vini ſpecies, facta conſecratione

rema-

remaneant, non autem aquæ.

Confirmatnr. Secundo, & explicatur magis præcedens confirmatio. Nam Concilium expreſsè dicit, *remanentibus dumtaxat ſpeciebus panis, & vini*, quod aduerbium exceptiuum ponitur, ad excludenda quæcunque alia accidentia, præter accidentia panis & vini; ſed ſi aqua immediate tranſiret in Sanguinem, neceſſario remanerẽt ſpecies accidentales phyſicæ, & naturales aquæ, quamuis alias haberent colorem, & ſaporem vini, ergo contra Concilium eſt, aſſerere aquam tranſire in ſanguinem immediatè; cum eius accidentia à ſacro Concilio omnino excludantur.

Confirmatur Tertio. Sicut per oppoſitam ſententiam, ſubſtantia aquæ ante conſecrationem non tranſit in vinum, ita nec ipſa accidẽtia eiuſdem aquæ in illud tranſeunt, ergo cum poſt conſecrationem ſolum facta ſit conuerſio ſubſtantiæ aquæ in Sanguinem Chriſti, ita remanent accidentia aquæ, ſicut remanent accidentia vini: quod eſt contra ſacrum Concilium dicens, *remanentibus dumtaxat ſpeciebus panis, & vini*, hoc eſt accidẽtibus vini, & panis. Antecedens patet. Nam oppoſitum opinantes, aſſerunt conſtare experiẽtia, quod ſi per ar-

tificium extrahatur ex vino aqua, illa habet eadem accidentia, eumdem ſcilicet colorem, & ſaporem aquæ, quem prius habebat antequam miſceretur: ergo &c.

Confirmatur Quarto. Si facta conſecratione, non remanent accidentia aquæ, vel illa, vnà cum ſubſtantia aquę ſunt conuerſa in Sanguinem, vel non? Si dicatur hoc ſecundum; ergo iam remanent; Si verò primum dicatur: igitur præter conuerſionem ſubſtantię aquæ, fiet etiã conuerſio accidentium in ſanguinem, quod eſt contra ſacrum Concilium, in cuius præfato canone, fit mentio omnium eorum, quæ in Corpus, & Sanguinem Chriſti tranſeunt, & tamen nulla fit mentio ſubſtantiæ, neque accidentiũ aquæ; imo verò, dum tradit fidelibus veritatem omnium eorum, quæ tranſubſtantiantur, ſolum meminit ſubſtantiæ panis, & vini, & accidentia eorum tantum dicit remanere. ergo dato, & non conceſſo; quod ſubſtantia aquæ immediatè in Sanguinem Chriſti tranſiret, ita remanerent eius accidentia, ſicut remanent accidentia panis, & vini.

Confirmatur Quinto. Ideo actio conuerſiua, qua conficitur Sacramentum Euchariſtiæ, vocatur à ſacro Concilio tranſubſtantiatio,

quia

quia eſt verus tranſitus ſolius ſubſtantiæ panis, & vini in Corpus, & Saguinem Chriſti, non accidentium eorumdem: ſi enim accidentia panis, & vini huiuſmodi tranſitum facerent, alio nomine, quam ſubſtantiationis vti debuiſſet, ad rei veritatem adæquatè declarandam, & ita, non ſolum eſſet tranſubſtantiatio, ſed etiã tranſaccidentatio. Ergo ita ſimiliter, ſi non ſolum ſubſtantia aquæ, ſed etiam eius accidentia in Sanguinem immediatè tranſirent, talis conuerſio, non ſolum eſſet tranſubſtantiatio, ſed etiam tranſaccidentatio, quod eſt in auditum, & contra ſacrum Concil. Ergo neceſſario fateri debent, accidentia aquæ remanere, quod eſt immediatè contra ſacrum Concilium Tridentinum in præfato canone 2. & in Eccleſia Dei prorſus inauditum.

Si forte dicatur poſt conſecrationem, accidentia aquæ fuiſſe conuerſa in accidentia vini. Si hoc in quam dicatur. Iam igitur conceditur, talem conuerſionem accidẽtium fieri poſſe. Cur ergo fieri non poterit conuerſio ſubſtantię aquæ?

Si rurſus dicatur, quod ante conſecrationẽ accidẽtia aquę fuerunt corrupta, cũ aqua amplius nõ habeatcolorẽ, neq; ſaporem aquę; tunc redit

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

idem argumentum. Nam falſum erit id, quod ipſi aſſerunt, & in quo pręcipuè ſuam opinionē fundant, nimirum, quod aqua artificiosè extracta à vino ante conſecrationem, ſit vera aqua, & conſequenter habeat verum ſaporem, & colorem aquæ, quod eſſet deſtruere totum eorumdem ædificium: ergo &c.

CAPVT SEXTVM.

Expenditur, & confutatur explicatio, quam adhibent prædicto Canoni ſacri Concilij Tridentini, quidam ex Auctoribus oppoſitæ Opinionis.

VIM PRAEFATI argumenti cum ſuis confirmationibus, duplici via ſubterfugere conantur quidam Theologi, cum quibus agimus, præcipuè Pater Aegidius Coninck, de Sacramentis loco ſupra citato numero. 183.

Primo enim reſpondent, illam particulam, *dumtaxat*, in præfato canone ſolum appoſitam eſſe ad excludendam omnem illam ſubſtantiā, ſcilicet panis, & vini, de qua certum, & indubitatum eſt, ſub earum ſpeciebus tranſubſtantiatio-

tiatione facta, amplius non manere: quod quidem iure optimo à ſacro Concilio: per illud aduerbium, ***dumtaxat***, factum eſt: ne ſcilicet fidelium mentes, à ſenſibus deciperentur, obiectis ſibi vtriuſque ſubſtantiæ ſpeciebus, quæ ſolæ, facta conſecratione ſuperſunt, atque ita Lutheri Hæreſis, quod erat ſacri Concilij intentum, damnatur, exiſtimantis totam ſubſtantiam panis & vini, ſub illis ſpeciebus integram perſeuerare, nec verè & realiter, vtramque in Chriſti Domini Corpus, & Sanguinem tranſubſtátiari. At vero numquam (inquiunt) fuit mens ſacri Concilij per illam particulam, ***dumtaxat***, vniuerſaliter excludere qnodcunq; aliud, quod non ſit certum, an remaneat facta conſecratione, præter ſpecies panis & vini, nimirum ſpecies ipſius aquæ, quas tranſubſtantiatione facta, adhuc remanere probabile eſt. Vnde argumentum adductum, vt ipſis videtur, contra eos non concludit.

Secundo Reſpondent. Quod ſacrum Concilium per illa verba, ***manentibus dumtaxat ſpeciebus panis, & vini***, aquæ ſpecies non excludit, ſed eas ſub ſpeciebus vini, ſecundum communem loquendi modum comprehendit: ſolemus enim (inquiunt) totum illud mixtum, ex

vino, & modiciſſima aqua reſultans (quamuis in eo aliquid aquæ, in ſua ſubſtantia & natura perſeueret) vinum vocare à potiori, nimirum, & prædominante parte, longe maiori inæqualitate aquæ partes ſuperante, atque excedente. Neque enim ad ſacri Concilij propoſitum faciebat aliud per huiuſmodi particulam, *dumtaxat*, excludere, quam id, quod à Luthero (cuius errorẽ damnare intendebat,) includebatur, ſcilicet ſubſtantiam panis, & vini. Cum ergo numquam inueniatur à Luthero, cuiuſque ſectatoribus controuerſum fuiſſe, Vtrum aqua debeat prius conuerti in vinum, quam conuertatur in Sanguinem, ſed ſolum, Vtrum panis, & vini ſubſtantia, poſt conſecrationem remaneant, ſicut vtriuſque ſpecies; ideo per huiuſmodi ſacri Concilij Canonem, & excluſiuam particulam, neque explicite, neque implicite, quicquam de hac noſtra controuerſia diffinitur, aut contra probabilem aquæ tranſitum immediatum in Sanguinem decernitur.

Neutra tamen ex his duabus ſolutionibus, pręfatis Autoribus patrocinatur. Idque oſtenditur manifeſte.

Primò ex ipſa natura, & ſignificatione, quam obtinet, & perpetuo conſeruat ſyncathegore-

gore-

gorema illud,ſeù dictio, *dumtaxat*, ſiquidem apud vniuerſos Grammaticos, ac Rethores in confeſſo eſt, hanc veram, ſolam, & propriam eſſe vim huius aduerbij, *dumtaxat*, vt illud, vel illa tantum,quæ ipſi adiungũtur,contineat, reſtringat,atque cohibeat:cætera autem omnia quęcunq; præter ea excludat,ſeù non includat, vt etiam Dialectici profitentur;omnes enim in hoc conueniunt,ſyncathegorema, ſiuè aduerbium *Dumtaxat, Tantum, Solum, Solũmodo, Tantummodo*, & ſimilia,habere ex propria eorum natura vim coarctatiuam,ad illud, vel illa tantum, quibus immediatè adiunguntur: ita vt illa tantum coerceant, & intra ſuæ ſignificationis cancellos cohibeant, cæteris quibuſcunque rebus, quæ ab huiuſmodi per tale aduerbium coarctatis,diuerſæ, ſunt,inde prorſus excluſis, vt exemplis innumerabilibus oſtẽdunt: vt verbi gratia. *Homo dũtaxat eſt rationalis*, quæ propoſitio exponibilis,hunc ſenſum apud Dialecticos facit,per ſuas duas propoſitiones cathegoricas exponentes, ex quibus vna copulatiua conſurgit, nimirum. Homo eſt rationalis, & nihil aliud ab homine eſt rationale. Ex quo patet, veram & indubitatam apud omnes Dialecticos,vim ſignificatiuã propriã huius aduerbij,

bij, *dumtaxat*, eſſe non ſolum coarctatiuam eius rei, cui adiungitur, & excluſiuam huius, vel illius, quæ ei apponitur, vel ab ea diuerſa eſt; ſed omnium quarumcunque, quæ non ſunt illa, ipſamet res ab aduerbio, *dumtaxat*, cohibita; Quod aperte conſtat. Nam ſecunda cathegorica propoſitio exponens, ſupra allatæ propoſitionis exponibilis, ſcilicet. *Homo dumtaxat eſt rationalis*, cum negatiua ſit, & vniuerſalis, omnia quæcunque, & cuiuſcunque naturæ ſint, prorſus deſtruit, & excludit, præter ea ſola, quæ ab aduerbio, *dumtaxat*, ſunt coarctata, & cohibita. Vnde huius reſponſionis Autores, veritatem hanc omnibus notam, & tanquam vnum ex primis principijs dialecticis, fateri coguntur; quo ſemel admiſſo, cum in vniuerſa Philoſophia, & Theologia ab eodem amplius recedere non poſſint, neceſſario etiam fateantur oportet, eadem præfata ſignificandi vi, aduerbium, *dumtaxat*, gaudere, dum Catholicæ Fidei veritatibus decernendis, ac Theologiæ myſterijs explicandis, tum à ſanctis Doctoribus, tum à ſacris Concilis adhibetur. Quapropter cum ſacrum Concilium Tridentinum, vnicam Fidei veritatem, ab omni prorſus dubietatis vmbra ſeiunctam de Sacra-

mento Euchariſtiæ, in prædicto canone abſolutè tradere intenderet, duo ſimul munera mediante illo aduerbio, *dumtaxat*, præſtat, quorum alterum eſt Lutheri hæreſim damnare; alterum Chriſti Fidelibus, quid verè ſub ſpeciebus panis, & vini facta conſecratione contineatur credendũ ſit, tradere: quod vtrũque profecto melius fieri non poterat, quam per aduerbium illud, *dumtaxat*, per quod i a cohibetur totum id, quod remanet poſt conſecrationem, ad ſpecies panis & vini ſolas, ſub quibus latet Corpus Chriſti, vt non ſolum excludatur ſubſtantia panis,& vini præcedens, verum etiam quæcunque alia res à ſpeciebus panis, & vini, Corpore, & Sanguine Chriſti diſtincta, atque diuerſa. Cum igitur ſpecies aquæ, non ſint ſpecies panis, nec vini, nec ſubſtantia Corporis, aut Sanguinis Chriſti euidens eſt; per aduerbium illud, *dumtaxat*; ipſas nullo modo inter ea cohiberi; ſed ab eis prorſus excludi.

Quod vt clarius ex doctrina Dialecticorum tradita appareat, applicemus eamdem, noſtro huic negotio,& oculari oſtenſione doctrinam traditam, cathegoricè patefaciamus. Hæc eſt cathegorica propoſitio excluſiua exponi-

bilis

bilis de ſyncathegorematè, ſeù aduerbio, *dumtaxat*, quę ex dicto canone formatur, ſcilicet. *In Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, remanent dumtaxat ſpecies panis, & vini.* Huius ſimplicis catherogicæ exponibilis, hæ ſunt exponentes. *In Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento ſpecies panis, & vini remanent, Et nihil aliud à ſpeciebus panis, & vini remanet.* Hæc ſecunda propoſitio exponens, ſimpliciter negatiua eſt, & vniuerſalis: cuius ſenſus, nullus alius eſſe poteſt, niſi hic, ſcilicet: Ex illis rebus, quæ in confectione Corporis, & Sanguinis Chriſti tranſubſtantiãtur in Corpus, & ſanguinẽ Chriſti, nulla alia res facta conſecratione remanet, præterquam ſpecies panis, & vini, ſub quibus cõtinetur verum Corpus, ac verus Chriſti Domini Sanguis. Igitur, non ſolum per aduerbium illud, *dumtaxat*, panis, & vini ſubſtantia, verum etiam quodcunque aliud, quod non eſt vera, ac realis ſpecies panis ac vini, prorſus excluditur. Cum ergo vera, ac realis ſpecies aquæ, à veris, ac realibus ſpeciebus panis & vini, omnino diſtincta ſit, atque diuerſa, ipſam etiam neceſſario fatendum eſt per aduerbium, *dumtaxat*, excludi. ergo cum nec verum, nec veriſimile, ſit in alio ſenſu à ſacro Concilio, aduerbium illud,

dumta-

dumtaxat, vſurpatum fuiſſe, quam à Grammaticis, & Dialecticis, in proprio ſenſu, ac ſignificato accipiatur, atque tradatur, & ex eodem ita in præfato canone accepto, etiam aquæ ſpecies implicite excludantur; allata iſtorũ Theologorum ſolutio, ipſi ſacri Cõcilij canoni apertiſſime aduerſabitur

Præterea Confutatur eadem ſolutio, ex modo loquẽdi. & ſenſu, in quo, tum Sacra Scriptura, tum Concilia, huiuſmodi aduerbio, *dumtaxat*, perpetuo vti conſueuerunt: ex quibus, aliquod exemplum in medium afferamus. Deuteronomij 12. ita dicitur. *Si commedere volueris carnes occide; & commede, abſque eſu dumtaxat Sanguinis.* In his verbis, iuxta communẽ gloſſæ, atque Expoſitorum intelligentiam, hic ineſt ſenſus. Omnia tibi comedenda conceduntur, tantum excluditur eſus carnium cum Sanguine. Ita ſimiliter, quando ſacrum Concilium dicit, *remanentibus dũtaxat ſpeciebus panis, & vini.* Significat, ex his, quę in confectione Sacramẽti Euchariſtiæ conuertũtur, nihil omnino remanere poſt conſecrationẽ pręter ſpecies panis, & vini, & conſequenter non ſolũ inde excluditur materia, & forma panis & vini; verum etiã quęcunque alia res præter panis, & vini ſpecies.

Deinde

Deinde in ſacro Epheſino Concilio cap. 5. ſanctus Cyrillus ſic ait. *Vnus eſt Dominus vna Fides &c. Iam ſi vnus dumtaxat eſt Dominus, quem illi in duos Filios diſtrahunt, vtri quæſo ex illis dominationem aſſignabimus?* Patet igitur, quomodo aduerbiũ illud, *dumtaxat*, omnes excludat Dominos, præter vnum. Ergo ſimiliter in præfato noſtro canone, aduerbium illud, *dumtaxat*, omnes alias res excludit, præter ſpecies ſolas panis, & vini.

Secundo principaliter Confutatur prima Reſponſio. Nam per verba illa, *remanentibus dumtaxat &c.* omnes aſſerimus decerni à ſacro Cõcilio, de fide eſſe non remanere ibi facta conſecratione materiam primã panis, & vini, nec exiſtentiam ſubſtantialem eorumdẽ, cuius tamen oppoſitũ multi Theologi tamquam probabile antea exiſtimarunt: ergo ſi ſacrũ Conciliũ; per illud aduerbium, *dumtaxat*, voluit excludere, quod erat certũ, & tacere, quod erat probabile, iam per illam particulam, non cogerẽtur ſcholaſtici aſſerere ibi nõ remanere materiam primam, vel gradum aliquem ſubſtantialem, aut exiſtentiam ſubſtantialem panis, & vini: quod certè nullus Catholicorum dicere audebit.

Tertio principaliter, aduerſus Secundam ſolutio-

lutionem, non eſt nobis valde laborandum. cum ea, ſacro Concilio ſit omnino repugnans. Quonam enim fundamento, ipſe ſolutionis Auctor, vel alius quiſpiam, illis ſacri Concilij verbis, ſcilicet, *remanentibus dumtaxat ſpeciebus panis, & vini*, iſtum ſenſum aptare poteſt, ſcilicet, Habentis ſimilitudinem panis, & vini, ſecundum communem modum loquendi? Cum ſacrum Concilium loquatur ibi de vino, ſicut de pane, in rigore ſcilicet phyſico: ſicut cum loquitur de materijs aliorum Sacramentorum aquæ, olei &c. Aliàs ſi ita poſſent impropriari verba ſacri Concilij, cum ipſum loquitur de materia baptiſmi & determinat eſſe aquam, licitum eſſet cuilibet dicere, Aquam ſimilitu, dinariè eſſe materiam baptiſmatis. Oleum ſimilitudinariè eſſe materiam confirmationis, quod eſt omnino falſum.

Neque inuat dicere, aquam vino mixtam appellari vinum ſecundum communem modũ loquendi; Nam re vera, iſte cõmunis loquendi modus, ad quem ipſi confugiunt, manifeſte contrariatur particulari, proprio, ac vero loquendi modo, quo ſacrum Concilium Florentinum, in aſſignãda materia Sanguinis vtitur, à quo particulari, ac vero loquẽdi modo, vir Catholi-

tholicus,recedere nec poteſt, nec debet,ob cõmunem,& vulgarem loquendi modum: cum præſertim agatur de veritate ipſius Iuris,& ſancitæ Legis,& iuxta Iurisprudentium receptam regulam,cõmuneq; axioma. A verbis legis non ſit recedendum; quando præſertim ſunt clara, & propria. Cum igitur Florentinum Conciliũ aſſignet pro materia vera, & propria Sãguinis, Vinum phyſicum, & naturale, verum ac proprium,iuxta particularẽ,ac proprium in rigore loquendi modũ ſub iſtis vocibus, *vinum de vite*, *cui* ſubdit, *modiciſſimam aquam*, *eſſe admiſcendam*; quomodo alicui licitum, erit huius ſacri Decreti,tam clara propria & determinata, verba,ad improprium communem, & vulgarem loquendi modum diſtrahere? Quare cum ſacri Concilij Tridentini mens,in aſſignatione materiæ Sacramenti Sanguinis ſit omnino eadẽ, idemq; omnino ſenſus cum eo,in quo loquitur Florentinum,ſi à Florentino ſola, ac vera materia Sanguinis, vinũ phyſicè, vinũ de vite, vt ab aqua omnino diſtinctũ, non autem vinum ſecundum cõmunem loquẽdi modum ſtatuatur;Ita Tridentinũ,idem omnino,vinum,eodẽ particulari modo loquendi ſumptum, non autem communi,ſtatuere dicendum eſt.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

Proponuntur Alia efficacia argumenta ad eandem veritatem comprobandam.

PRIMO LOCO, id ipſum probatur efficaciſſimè ex Romano Cathechiſmo, iuſſu ſacri Concilij Tridentini edito, & à Sanctiſſimo Pontifice Pio Quinto approbato, vbi dicitur. *Illud Sacerdotibus aduertendum, vt quemadmodum in ſacris myſterijs, aquam vino adhibere oportet, ſic etiam modicam infundendam; Nam Eccleſiaſticorum ſcriptorum ſententia, & iudicio, aqua illa in vinum conuertitur.* Ex quibus verbis, hoc efficax Argumentum deſumitur. Si aqua eſſet materia, aliquo modo idonea conſecrationis calicis; certè priuſquam conuerteretur in Sanguinem, non eſſet neceſſe ipſam conuerti in vinum: cum materia idonea, immediatè in Sanguinem conuertatur; ſed à prefato Cathechiſmo docemur, ideo eſſe infundendam modicam aquam, quia Eccleſiaſticorum ſcriptorum ſententia, & iudicium eſt, illã prius in vinum conuerti: ergo talis aqua ex

doctrina Cathechiſmi, nullo modo idonea materia coneſecrationis dicenda eſt.

Secundum Argumentum eſt. Si aqua mixta vino, vt ſic, eſſet tota vera materia confectionis Sanguinis Chriſti, & tranſubſtatiaretur vt ſic immediatè in Sanguinem, ſequeretur, triplicem fore materiam Sacramenti Euchariſtiæ, Panem, ſcilicet, Vinum, & Aquam: ſed hoc eſt contra doctrinam Catholicam totius Eccleſię, qua duplicẽ tantum, panem ſcilicet & vinum, Sacramenti Euchariſtiæ, veram, ac propriam, adæquatam, & totalem materiam eſſe docemur: ergo aqua non eſt materia. Sequela patet. Abſurditas autem, & inconueniens oſtenditur à S. Thoma in 4. diſt. 11. q. 2. art. 4. quæſtiunc. 1. ad ſecundum, vbi poſtquam obiecerat ſibi hoc argumentum, ſcilicet, *vinum, & aqua ſunt alterius ſpeciei: Si ergo aqua admiſcetur vino, erit triplex materia huius Sacramenti, ſed hoc eſt abſurdum &c.* Reſpondet: ſupponendo ex omnium conſenſu, id eſſe abſurdum, & aquam non eſſe materiam, ideo, quia non conuertitur. Nam, inquit ſanctus Doctor, Sunt duæ ſententię, altera affirmat aquam manere aquam, & ſic non eſt materia:

teria; altera affirmat tranſire in vinum, & ſic conuerti, vnde nec eſt materia. Igitur abſurdum cenſet S. Thom. aquam mixtam vino in propria ſpecie, ingredi rationem materiæ: ſupponit enim, ſi conuertitur, eſſe materiam. Verba enim eius ſunt. *Ad ſecundum, dicendum, quod de aqua appoſita, eſt duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod aqua manet in ſua natura, & ſolum vinum tranſubſtantiantur: vnde aqua non apponitur ibi, niſi ad ſignificationem. Alij vero dicunt, quod aqua appoſita in vinum conuertitur, & ſic totum in Sanguinem Chriſti tranſubſtantiantur. Quæcunque autem harum opinionum ſit vera, aqua non erit materia huius Sacramenti; Quia ſecundum primam non conuertitur in Corpus, vel Sanguinem Chriſti: ſecundum ſecundam, non manet in propria ſpecie, ſed vini. Secunda tamen verior apparet, & ſecundum rationem naturalem; quia modica aqua vino admixta, quod eſt magis actiuum à vino corrumpitur, & in ſpeciem vini tranſit: & quantum ad ritum Sacramenti, quia ſi aqua in propria natura remaneret, ſic calix conſecratus, non eſſet tantum potus ſpiritualis, ſed etiam corporalis; & ita non liceret poſt primam ſumptionem Sanguinis, iterũ ſumere.* Hæc S. Thom. ergo &c.

Tertio probatur efficaci ratione. Illa eſt materia huius auguſtiſſimi Sacraméti Euchariſtiæ quo ad vtramque ſpeciem, quæ eſt de neceſſitate Sacramenti; ſed aqua, quæ vino miſceri debet, non eſt de neceſſitate Sacraméti, ſed tantum ex præcepto Eccleſiæ, vt docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 7. vbi ſic ait. *Monet ſancta Synodus præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miſceant*: ergo aqua non eſt materia. Maior eſt certiſſima. Nam id, quod eſt materia Sacramenti, eſt illud tantum, ſine quo Sacramentum confici non poteſt: ſed id, ſine quo Sacramentū effici nō poteſt, eſt de neceſſitatem Sacramenti: ergo illa eſt materia Sacramenti, quæ eſt de neceſſitate Sacramenti. Explicatur hæc ratio. Hoc enim eſt diſcrimen inter id, quod eſt de neceſſitate Sacramenti, & id quod eſt de neceſſitate præcepti; nimirum, quod ſine eo, quod eſt de neceſſitate Sacraméti, Sacramentū confici nō poteſt, vt verbi gratia, de neceſſitate Sacramenti Euchariſtiæ eſt, panem qui conſecratur eſſe triticeum; hinc fit, quod ſine tali pane, nequit confici Sacramentum, & ita panis triticeus dicitur neceſſa-

rius

rius neceſſitate Sacramenti: At vero ſine eo, quod eſt neceſſarium neceſſitate præcepti, Sacramentum confici poteſt, quamuis violetur præceptum, & peccatum mortale committatur: vt contingeret, ſi quis in conſecratione panis omitteret pronomen, *enim*, quod non eſt de neceſſitate Sacramenti; ſed tantum ex præcepto Eccleſiæ, in prędicta forma pronunciandum. Ita in propoſito noſtro dicimus; quod cum aqua, ſolum ex Eccleſiæ præcepto vino miſcenda ſit, atque adeo ſolum ſit neceſſaria neceſſitate præcepti, & non Sacramenti; hinc manifeſtè ſequitur, aquam nullo modo cenſeri, aut dici poſſe materiam Sanguinis Chriſti, aliàs non ſolum neceſſitate præcepti, ſed etiam neceſſitate Sacraméti in confectione pręfati Sacraméti, abſolutè adhibéda eſſet.

Quarto probatur. Illa eſt materia, ſeu commateria conſecrationis calicis, quam potuerũt Apoſtoli, poteſtate à Chriſto Domino accepta tranſubſtantiare in Sanguinem eius; ſed Chriſtus Dominus non dedit Apoſtolis poteſtatem tranſubſtantiãdi aquam in ſuum Sanguinem: ergo aqua non eſt materia, ſeù commateria conſecrationis calicis, quam potuerint Apo-

Tertio probatur efficaci ratione. Illa eſt materia huius auguſtiſſimi Sacraméti Euchariſtiæ quo ad vtramque ſpeciem, quæ eſt de neceſſitate Sacramenti; ſed aqua, quæ vino miſceri debet, non eſt de neceſſitate Sacraméti, ſed tantum ex præcepto Eccleſiæ, vt docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 7. vbi ſic ait. *Monet ſancta Synodus præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miſceant:* ergo aqua non eſt materia. Maior eſt certiſſima. Nam id, quod eſt materia Sacramenti, eſt illud tantum, ſine quo Sacramentum confici non poteſt: ſed id, ſine quo Sacramentũ effici nõ poteſt, eſt de neceſſitatem Sacramenti: ergo illa eſt materia Sacramenti, quæ eſt de neceſſitate Sacramenti. Explicatur hæc ratio. Hoc enim eſt diſcrimen inter id, quod eſt de neceſſitate Sacramenti, & id quod eſt de neceſſitate præcepti; nimirum, quod ſine eo, quod eſt de neceſſitate Sacraméti, Sacramentũ confici nõ poteſt, vt verbi gratia, de neceſſitate Sacramenti Euchariſtiæ eſt, panem qui conſecratur eſſe triticeum; hinc fit, quod ſine tali pane, nequit confici Sacramentum, & ita panis triticeus dicitur neceſſa-

rius

rius neceſſitate Sacramenti: At vero ſine eo, quod eſt neceſſarium neceſſitate præcepti, Sacramentum confici poteſt, quamuis violetur præceptum, & peccatum mortale committatur: vt contingeret, ſi quis in conſecratione panis omitteret pronomen, *enim*, quod non eſt de neceſſitate Sacramenti; ſed tantum ex præcepto Eccleſiæ, in prędicta forma pronunciandum. Ita in propoſito noſtro dicimus; quod cum aqua, ſolum ex Eccleſiæ præcepto vino miſcenda ſit, atque adeo ſolum ſit neceſſaria neceſſitate præcepti, & non Sacramenti; hinc manifeſtè ſequitur, aquam nullo modo cenſeri, aut dici poſſe materiam Sanguinis Chriſti, aliàs non ſolum neceſſitate præcepti, ſed etiam neceſſitate Sacramēti in confectione pręfati Sacramēti, abſolutè adhibēda eſſet.

Quarto probatur. Illa eſt materia, ſeu commateria conſecrationis calicis, quam potuerūt Apoſtoli, poteſtate à Chriſto Domino accepta tranſubſtantiare in Sanguinem eius; ſed Chriſtus Dominus non dedit Apoſtolis poteſtatem tranſubſtantiādi aquam in ſuum Sanguinem: ergo aqua non eſt materia, ſeù commateria conſecrationis calicis, quam potuerint Apo-

ſtoli, & modo quicunque Sacerdos, poteſtate à Chriſto Domino accepta, tranſubſtantiare in Sanguinem eius. Maior eſt certa. Quia Chriſtus Dominus ſolum dedit poteſtatem in vltima cœna, quando huiuſmodi auguſtiſſimum Sacramentum inſtituit, ad tranſubſtãtiandum id tantum, quod ipſe voluit eſſe materiam. Conſequentia eſt euidens. Minor autem probatur. Chriſtus Dominus ſolum dedit poteſtatem tranſubſtantiandi id, quod præcepit apponi tamquam neceſſarium neceſſitate Sacramenti: non enim videtur veroſimile, ipſum dediſſe poteſtatem ad conuertendam materiam, quam non præcepit apponi tamquam materiam Sacramenti. Cum ergo certum ſit Chriſtum Dominum non præcepiſſe, aquam tamquã materiam apponi, cum hoc, vt dictũ eſt in præcedenti ratione, tantũ Eccleſiæ pręcepto habeatur, ipſam nimirũ in modiciſſima quantitate debere vino miſceri, ad ſignificandam incorporationem populi fidelis cũ Chriſto; hinc eſt, quod Chriſtus Dominus non dedit poteſtatem Apoſtolis in inſtitutione talis Sacramenti, conuertendi aquam in Sanguinem; & ita ſequitur manifeſtè, quod nullo

modo

modo Chriſtus Dominus inſtituerit aquam, vt materiam, aut partem materiæ, quia ſi illam inſtituiſſet, vtiq; præcepiſſet illam miſceri tamquam materiam, aut ſaltim cõmateriam, quod tamen, vt conſtat non fecit: ergo &c.

Huius argumenti efficaciam, multiplici via infirmare conantur præfati Autores. Negant enim In primis, aquæ admixtionem, eſſe ſolũ ex Eccleſiaſtico præcepto, cum id ex præcepto diuino, & inſtitutione Chriſti ſit. Quoniam in Concil. Florẽtino; vbi ſupr. aperte dicitur, hoc ex Chriſti Domini inſtitutione haberi. Præterea idem decernitur de conſec. diſt. 2. cap. ſcriptum, & cap. ſicut, in quibus locis clare dicitur nos debere aquam admiſcere vino, vt ſequamur exempla Chriſti Domini. Tandem. Nam S. Thom. ex eo infert, panẽ & vinũ eſſe materiam neceſſariã Sacramenti Euchariſtię; quia in eis Chriſtus Dominus hoc Sacramentũ confecit; ſed ita pariter idem Chriſtus Dominus, Sacramentum Sanguinis perfecit in vino aqua permixto: erit igitur hoc idẽ eodem modo permixtũ materia Sanguinis, non ſolum ex præcepto Eccleſiæ; verũ etiã ex Chriſti Domini inſtitutione, & neceſſitate Sacramenti:

Hęc nihilominus, noſtris rationibus minimè obſunt. Etenim, in citatis illis capitulis ſolum oſtenditur fundamentum, ac pręcipuum motiuum, ex quo Eccleſia cauſam ſumpſit præcipiendi fidelibus Sacerdotibus, vt in confectione Sacramenti Euchariſtiæ, ſemper modicam aquam vino conſecrando admiſcerent, ob hãc præcipuè rationem, quia Chriſtus Dominus talis Sacramenti Autor, in eiuſdem inſtitutione, aquam vino admiſcuit, atque adeò conueniens maximè fuit, vt Eccleſia eius ſponſa, eiuſdem etiam veſtigia ſectaretur, & conſequenter ſuis pręcipuis miniſtris, ita faciendum præciperet.

Ex his ergo tantum conſequitur, huiuſmodi Eccleſiaſticum pręceptum, maximè cõgruum, & ſummopere cõforme eſſe diuino iuri, Chriſtique Domini inſtitutioni ſimile: non tamen inferri poteſt, huiuſmodi aquam mixtam, ex præcepto Chriſti eſſe neceſſariam materiam, ſeu commateriam, neceſſitate Sacramenti. Quare falſum omnino eſt, Chriſtum Dominum omnia, & ſingula, quæ, ipſe in inſtitutione talis Sacramenti fecit etiam fidelibus facienda præcepiſſe tamquam neceſſaria ad

veram

veram, & propriam materiam Sacramenti: Quod patet manifeſtè. Nam ipſe conſecrauit in pane azimo; non tamen impoſuit præceptũ conſecrationis in pane azimo, tãquam in neceſſaria materia, neceſſitate Sacramenti.

Vera igitur, ac ſola via colligendi præceptũ diuinum, quo ad omnia, & ſingula ad Sacramentum ſpectantia eſt: Quando hoc, vel illud, de quo quæritur, an ſit in præcepto, ad Sacramenti materiam, vel formam, ſeù integritatem ſpectat: Aut quando ita, Doctoribus, vel SS. Patribus, pręceptum à Chriſto eſſe aſſeritur; non autem ex eo ſolum, quod ipſe Chriſtus ita fecerit. Eodem modo intelligendus eſt ſanctus Thomas, cum oſtendit panem & vinum, eſſe neceſſariam materiam Sacramenti, quoniam ita conſecrauit Chriſtus Dominus: hoc eſt, quia in ipſa conſecratione inſtituit, quod materia vera, & neceſſaria Sacramenti Euchariſtiæ, eſſet panis triticeus, & vinũ vitis.

Quinto principaliter probatur. Demus caſum quod parum ac modicũ panis hordeacei, ſit admixtum pani triticeo, adeo vt talis panis hordeaceus maneat in ſua ſpecie; talis panis numquam tranſubſtantiatur in Corpus Domini,

mini, non alia ratione, niſi quia talis panis non eſt materia idonea, conſecrationis: Ergo aqua manens aqua ſecundum ſuam ſpeciem, non eſt materia idonea conſecrationis,& conſequentèr nequit conuerti immediatè in Sanguinem. Conſequentia tenet à paritate rationis; non enim eſt maior ratio in vno caſu,quã in alio. Antecedens vero,eſt expreſſa doctrina ſancti Thomæ, & omnium Doctorum, vt ex profeſſo demonſtrabimus infra: præcipuè vero illam docet 3. p. q.74.art. 3. in ſolut. ad 4. vbi inquit. *Vnde non eſſet materia conueniens huius Sacramenti, panis hordeaceus.*

CAPVT OCTAVVM.

Affertur prima ſolutio Autorum oppoſitæ opinionis, & validiſſimis rationibus confutatur.

PRAEFATI Theologi, vt vim argumentorum, quæ hucuſque contra eorum opinionem adduximus, quantum fieri poteſt effugiant, aliam quandam ſolutionem excogitarunt: fatentur enim aquam, quæ ante conſecrationem calicis, vino admiſcetur, non eſſe

verè,

verè & realiter vinum ſecundum ſuam ſubſtantiam, & phyſicè ſiuè naturaliter: eſſe tamen vinum Moraliter: hoc eſt exiſtimatiuè: quia moraliter illa aqua, reputatur & exiſtimatur vinum, cum habeat ſaporem, & colorẽ vini; Vnde licet (inquiunt) verum ſit, quod aqua ſeorſim à vino, & abſolutè loquendo non ſit vera materia Sanguinis Chriſti, atque adeò nequeat immediatè in ipſum conuerti: negari tamen non poteſt, quin aqua, quæ coniuncta vino eſt, & cenſetur moraliter vinum, cum vini colore, & ſapore ſit prædita, non ſit materia idonea conſecrationis Sanguinis, & ideo talis aqua, vt ſic reputata vinum, poterit immediatè in Chriſti ſanguinẽ conuerti, & tranſubſtantiari. Atq; ita aduerſus præcedẽtiũ autoritatum, & rationum veritatem, & efficaciã, tueri ſe ſuamque opinionem arbitrantur.

Sed contra hanc ſolutionem multiplici ratione inſiſtimus.

Primo. Nam dicere, quod aqua, quæ ita moraliter eſt & cenſetur vinum, ſit materia Sacramenti Sanguinis, & quod immediatè in Sanguinẽ tranſubſtantietur, nil aliud eſt, niſi dicere, quod vera aqua phyſicè, & ſecundum

dum ſuam ſubſtantiam naturalem aqua, ſit vera materia huius Sacramenti, vt ex eorumdem aſſertione, & explicatione patet; ſed hoc eſt expreſsè contra ſacra Concilia, & Tridentinum pręcipuè, in quo, ſola & tota, veri & phyſici vini de vite ſubſtãtia, decernitur conſecrationis calicis materia: ergo &c.

Secundo. Nam ſacrum Concilium vbi ſupra, docet materiam, quæ in mirabili conuerſione Sacramentali conuertitur, & tranſubſtantiatur in Sanguinem, eſſe totam ſubſtantiam vini, ita veri, phyſici, & naturalis, ſicut de conuerſione panis in Corpus Chriſti docuerat, totam ſubſtantiam veri, phyſici, ac naturalis triticei panis, in Domini Corpus trãſire: non autem panis moraliter triticei, ex alia ſubſtantia, vt verbigrat. hordeacea, vel ſimili, qui licet eſſet ſecundũ ſubſtantiam, & phyſicè hordeaceus, moraliter tamen triticeus reputaretur, quia haberet colorem, & ſaporem veri panis triticei, non ſecus, ac habeat vini modica illa aqua vino admixta, vinum moraliter nuncupata; ſed huiuſmodi aqua, quę eſt verè, & phyſicè ſecundum ſuam ſubſtantiam aqua; licet ſit, & reputetur ab iſtis Autoribus

vinum,

vinum, non eſt vera, & naturalis ſubſtantia vini de vite, ſicut nec portio illa panis hordeacei, pani triticeo admixta, eſſet vera, ac naturalis ſubſtantia triticei panis, ſed tantum moraliter, & exiſtimatiuè: ergo contra ſacrum Concil. eſt huiuſmodi doctrina de vino morali, atque adeò nulla ratione admittenda: aliàs idem licitum eſſet etiam dicere, imo practicare, in confectione Sacramenti Corporis, quod eſt contra Catholicam veritatem.

Tertio. Si ſumatur phyala, aqua plena, eiq; exiguum quid generoſi vini ſuperinfundatur, ita vt illa aqua, vini colore, & ſapore imbuatur, iam ille liquor conſecrari poſſet ſecũdum oppoſitam opinionem; Nam ad hoc, vt aqua ſit vera, & idonea materia conſecrabilis, ſufficit, quod ſit moraliter vinum, hoc eſt exiſtimata vinum, in tali ſcilicet ſtatu conſtituta, vt habeat colorem, & ſaporem vini, quod in tali caſu contingeret; ſed id aſſerere eſt pluſquam falſum, & cõtra dogma Fidei: hoc enim eſſet aquam conſecrare, non vinum: ergo &c.

Explicatur magis efficacia huius argumẽti, vero & experimentali exemplo. Nam contingere poteſt, vt ſæpe etiam contingit, quod decem

cem aquæ partes, octo partibus vini generoſiſſimi, vt Græci, vel Hiſpani vini admixtę, melius referant vinum, quam vinum purum tenue; ſed decem aquæ partes in hoc caſu, ſunt moraliter vinum: ergo poterunt iuxta oppoſitam ſententiam conſecrari, quod profectò nullus Catholicorum concedet. Quomodo ergo dici poterit aquam, quæ tantum moraliter eſt vinum, eſſe materiam conſecrationis calicis, & in Chriſti Sanguinem immediatè tranſubſtantiari, ſicut ipſam veri, ac naturalis vini ſubſtantiam?

Quarto. Si ad immediatam conuerſionem, & tranſubſtantiationẽ in Chriſti Domini ſanguinem, ſeù ad rationem materiæ veræ, & idoneæ conſecrationis Sanguinis ſufficeret, quod aqua vino admixta eſſet moraliter vinum habens tantum vini colorem, & ſaporem, & non eſſet neceſſarium, quod ante conſecrationem, in verum, & naturale vinũ conuerſa eſſet; cur ſacra Concilia præciperent, quod talis aquà in modiciſſima quantitate ipſi vino admiſceretur? certè otioſum eſſet huiuſmodi pręceptum, nam licet aqua apponeretur in maiori quantitate, ſemper tamen ipſa cenſeretur

ſeretur moraliter vinum; quia etiam tunc retineret colorem, & ſaporem vini, & ſic etiam eſſet idonea materia conſecrationis, & immediatè in Chriſti Sanguinem conuerteretur. Nam ex eorum doctrina, vt conuertatur in Sanguinem, non eſt neceſſe ipſam prius in vinum conuerti, ſed ſufficit quod moraliter vinum; At id aſſerere, eſt contra præceptum, & vſum Eccleſiæ & Concilium Florentinum, ex cuius decreto modiciſſima aqua, ſiuè paululum aquæ, debet vino ante conſecrationem miſceri & cōtra Cathechiſmū Romanum vbi ſupra, iubentem Sacerdotibus, modicam aquā vino infundendam eſſe, quia Eccleſiaſticorū ſcriptorum ſententia & iudicio, in vinum cōuertitur: ergo tota ratio propter quam præcipitur modicam aquam vino admiſceri, eſt vt facilius & celerius, prius in vinum tranſeat, quam fiat conſecratio. Quod ſi Concilia, & Cathechiſmus talem coeuerſionem aquæ in vinum, impoſſibilem, aut minimè neceſſariam exiſtimaſſent, vt oppoſitum opinantes arbitrantur; profectò, nec Concilia ad tam exiguā quantitatem, huiuſmodi aquam admiſcendam Sacerdotes coarctaſſent, nec Romanus Cathechiſmus

chiſmus, huiuſmodi paucitatis rationem prę-fatam tranſitus in vinum, ex Eccleſiaſticorum iudicio & ſententia attuliſſet: ergo &c.

Hæc ratio deſumitur ex doctrina expreſſa S. Thomæ 3. p. q. 74. art. 8. vbi determinat modiciſſimam aquam eſſe vino apponendam in calice, & referens auctoritatem Innocentij iij. cap. Cum Marthæ. Inquit. *Et ideo, ſicut ipſe dicit, aliorum opinio probabilior eſt, qui dicunt aquã conuerti in vinum, & vinum in Sanguinem. Hoc autem fieri non poſſet, niſi adeò modicum apponeretur de aqua, quod conuerteretur in vinum.* Hæc ſanctus Thomas.

CAPVT NONVM.

Examinatur alia ſolutio eorumdem Autorum, & vt à veritate aliena, ſolida doctrina reijcitur.

ALIAM Præfati Autores Propoſitis argumentis adhibent ſolutionem: aſſerunt enim, Ideo ab Eccleſia præcipi modiciſſimam aquàm vino miſcendam eſſe, non quia aqua illa debeat prius in vinum conuerti, ſed quia ſi in

ſi in magna quantitate apponeretur vini ſpecies ſoluerentur, & ſic materia conſecrationis calicis non amplius remaneret, & conſequenter, neque aqua illa eſſet amplius moraliter vinum, licet enim retineret colorem vini; ſapore tamen careret. Et hæc eſt ratio ſupradicti Eccleſiaſtici præcepti, vt ipſi credunt.

Sed hęc doctrina omnino falſa eſt, nec ſubſiſtere aliqua ratione poteſt: quod ſic oſtēditur.

Primo. Nam licet dimidia pars aquæ apponatur vino generoſo; vini tamen ſpecies non ſoluitur, cum experientia conſtet in tali caſu, non ſolum colorem, verum etiam ſaporem, & virtutem vini ibi remanere: igitur dimidia pars aquæ, contra vſum Eccleſiæ, & Conciliorum doctrinam, tali vino admiſceri poteſt: Vnde ruit plane huiuſmodi Autorũ reſpōſio.

Secundo. Corroboratur magis hæc ratio, ex capit. Pernicioſus de celebratione Miſſarum diſt. 2. in quo decernitur, eſſe pernicioſum errorem, plus aquæ miſceri in calice, quam vini: ibi enim Honorius Papa Tertius, ſic ait. *Pernicioſus in tuis partibus inoleuit abuſus, videlicet, quod in maiori parte de aqua ponitur in Sacrificio, quam de vino; cum ſecundum rationabilem*

conſuetudinem Eccleſiæ generalis, quàm de aqua ponendum. Sed ſi vino græco admiſceatur plus aquę quam vini, iuxta oppoſitam opinionem non ſolueretur ſpecies vini: ergo licitum eſſet plus aquæ, in calice conſecrando apponere, quam vini.

Tertio. Sequitur ex oppoſita ſententia, cõtra Concilia, & contra communem ſenſum Eccleſiæ, vinum generoſum aqua mixtum; quod homines temperati in menſa bibere ſolent, eſſe idoneam materiam conſecrationis. Patet hæc ſequela. Nam tale vinum continens dimidiam, vel maiorem partem aquę, eſt vinum morale ab eiſdem Autoribus aſſertum, in quo non eſt ſoluta, ſed remanet ſpecies vini, non ſolum quo ad ſaporem, vel colorem, ſed etiam quo ad ſubſtantiam, licet in aliquali eſſe remiſſo, in quo optime ſpecies eſſentialis cuiuſcunque conſimilis ſubſtantiæ, abſque miraculo non ſolum conſeruari poteſt, verum etiam de facto conſeruatur, vt ratio ipſa naturalis ſuadet, & experientia ſenſibilis docet, vt infinitis exemplis oſtendi poteſt, in omnibus liquoribus.

Quarto. Nullus Catholicorum vnquam

dixit,

dixit, nullum eſſe diſcrimen inter vinum temperatum, quo vtimur in menſa, & vinum altaris; imo verò maxima diligentia, & cautela vtuntur homines tempore vindemiæ, in confectione vini, quod in Miſſis eſt offerendum, ne in eius compoſitione aqua admiſceatur, quo fit, vt nemo vti poſſit eo vini genere, quod Raſpatũ vulgo dicitur, vel Aqquetta: quod tamen iuxta oppoſitam opinionem fieri poſſet: Ergo non ideo modiciſſima aqua eſt vino apponenda, vt non ſoluãtur ſpecies vini, ſed quia niſi aqua ſit conuerſa in vinum actuale, formale, & verum, non poteſt tranſire immediatè in Sanguinem.

Quinto. Omnes Doctores ſcholaſtici à B. Alberto Magno, Alexandro de Ales, ſancto Thoma, S. Bonauentura, & Scoto, qui ſunt Duces Scholaſticarum Claſſium, ſtatuunt tamquam regulam certiſſimam (vt ex ſingulorum formalibus verbis infra oſtendemus) modicam aquam vino miſcendam eſſe, vt quamprimum fieri poſſit, in vinum tranſeat, ac deinde in Sanguinem, & afferunt explicite rationem, quia, inquiunt, niſi vertatur in vinum, non tranſit in Sanguinem: ergo &c.

Sexto. Ratio allata à Cathechiſmo Romano, quare modiciſſima aqua ſit vino miſcēda, non eſt, ne ſoluantur ſpecies vini, ſed quia Eccleſiaſticorum ſcriptorum ſententia, & iudicio, aqua illa in vinum conuertitur: ergo præfata ſolutio ab omni ſacrorum Conciliorum, SS. Patrum, & Scholaſticorum ſenſu, communiquè Eccleſiæ vſu, prorſus eſt aliena.

CAPVT DECIMVM.

Occurritur alteri eorumdem Autorum Reſponſioni.

PRESSI tandem noſtrarum rationum viribus præfatæ Opinionis Patroni, ad aliã ſe viam conuertunt: Vnde concedunt quidem præcipi à ſacris Concilijs modicam aquam vino apponi, vt tutior pars eligatur; cum certius ſit modicã aquam verti in vinum, quam multã, ſicq; in Chriſti ſanguinem tranſubſtãtiari: Negant tamen eſſe SS. Concil. mentem, ideo aquæ modicitatem præcipere, vt ea neceſſario debeat prius in vinum verti, adeo vt nũquam detur caſus, in quo immediatè non in vinum,

ſed

ſed in ipſum Chriſti Sanguinem conuertatur.

Verum Catholicę doctrinę veritas, hucuſq; adducta, efficaciter iſtam euaſionem eludit.

Primo. Nam in omnibus præcedentibus capitibus, iam demonſtratum eſt, Concilia id præcipere, non quia tutius, ſed quia abſolutè faciendum eſt: ergo huiuſmodi reſponſio gratis adducitur.

Secundo. Cathechiſmus Romanus manifeſte reddit rationem adæquatam huiuſmodi paucitatis aquæ, non quia tutius ſit id facere, ſed quia abſolutè prius in vinum tranſire debet: ergo &c.

Tertio; Si ſententia, quæ à nobis, vt Catholica aſſeritur & demonſtratur, eſt tutior, vt ipſi fatentur: ergo nullus catholicus oppoſitam tenere, docere, multoque minus ad praxim reuocare illam poteſt. Conſequentia patet. Nam in confectione Sacramentorum, nullus poteſt tuta cõſcientia relinquere, in praxi præcipuè, tutiorem & communiorẽ ſententiã; Imo verò, quod caput eſt, ſenſum & vſum communem Eccleſiæ, & opinionẽ aliam ſequi in praxi minus tutam, imo neq; probabilem.

Confirmatur & explicatur huius rationis

vis. In re grauiſſima, qualis eſt confectio Sacramenti Corporis, & Sanguïnis Chriſti, non debemus nos & alios abſque aliqua neceſſitate, ponere in euidẽti periculo errãdi, omittendo ſententiã tutiorem, vt verb.grat. Si dubitẽ, An hęc aqua ſit naturalis, non debeo illa vti in baptiſmate: Sicut etiã eſt opinio Theologorũ, quod licet probabile ſit, poſſe in Sacramento baptiſmatis nos vti hac forma: Ego te baptizo, in nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque; tamen eſt peccatum mortale vti tali forma, cum ea non vtatur Eccleſia, & cum ſit forma dubia, exponunt ſe periculo nõ conficiendi Sacramentũ: Ita quamuis in alijs materijs moralibus, liceat tuta conſcientia cuilibet ſequi opinionem verè probabilem, etiamſi talis minus probabilis ſit; verũ dum agitur de confectione Sacramentorum, & de vera materia & forma eorumdem, illicitum omnino, ac vetitum eſt cuicunq; fideli, ſectari opinionem etiam verè probabilem & certam, ac tutam in conſcientia relinquere, quando præſertim eſt, cõmunis & ſacrorum Cõciliorum decreto ſtatuta, ac totius Eccleſiæ Catholicę pręcepto, & praxi tradita: aliàs enim oppoſitum faciens,

fàciens, ſemper exponeret ſe periculo peccandi, & non conſiciendi Sacramentum: ergo prædicta Autorum reſponſio argumentorum contra ſe oppoſitorũ vim minimè ſubterfugit.

CAPVT XI.

Impugnatur vlterius eadem Opinio, ex multis abſurdis, quæ ex ipſa ſequuntur.

POSTQVAM ex confutatione reſponſionum, quas conantur adhibere præfati Autores, ad euitandam noſtrorum argumentorum efficaciam, ſatis euidenter conſtat, tum rationibus, tũ autoritatibus, impugnatę Opinionis falſitas; Ex maximis abſurdis, quæ ex ea manifeſte inferuntur, ad eandem penitus labefactandam procedere in præſenti capite, operæ pretium erit.

Primo enim ex huiuſmodi opinione ſequitur, totũ Chriſtum, ne dum ſub ſpeciebus vini, verum etiam ſub ſpeciebus aquę cõtineri, contra S. Concil. Trid. vbi ſupra, quo loco ait. *remanentibus dumtaxat ſpeciebus vini &c. & totum Chriſtum, eſſe ſub ſpeciebus vini.* Sequela patet.

tet. Nam illa aqua eſſet iuxta poſita vino, & minimę portiones, quibus conſtat aqua, eſſent prope minimas portiones, ex quibus cõſtat vinum, videretque Angelus minimum aquæ, diſtinctum à minimo vini, & in locis diſtinſtinctis; ſed ſub eo minimoquantitatis aquæ, eſſet totus Chriſtus, nam ſubſtantia aquæ in ipſum immediatè conuerſa eſſet: ergo non tantum ſub ſpecie vini, ſed etiam ſub ſpecie aquæ, totus Chriſtus eſſet, & Angelus Chriſtũ ſub ſpecie aquę adorare poſſet: imo vero etiam id præſtare poſſet ipſe Sacerdos, ſi à Deo, ſuperno lumine illuſtraretur, & ad hæc diſcernenda potens redderetur.

Dicent forte iſti Autores, minimum aquæ, habiturum in eo caſu colorem, & ſaporem vini, ideoque non fore dicendum minimum aquæ, ſed modicum vini moraliter, ſiuè exiſtimatiaè, & ſic totum Chriſtum nõ futurum ſub ſpeciebus aquæ, ſed ſub ſpeciebus vini moralis.

Sed contra arguitur ad hominem ſic. Ipſi negare non poſſunt, quin minimum quantitatis aquæ, ſit ſubſtantia aquæ, cui verè, & realiter adhærent color & ſapor aquæ: ergo
illud

illud minimum aquæ, erit verè & eſſentialiter aqua. Antecedens huius argumenti, non ſolum ab ipſis admittitur, verum etiam tamquam præcipuum ſuæ opinionis fundamētum aſſeritur; ideo enim illam, vt veram tuentur, quia exiſtimant aquam veram, & realem cum ſuis accidentibus iam vino appoſitam, ex eodē vino ſecundum totam ſubſtantiam, eademq; accidentia, extrahi poſſe: Ex quo inferunt, nū-quam aquam in vinum tranſire: Tunc ſic: ergo priuſquam è vino educeretur, eiſdem ſuis proprijs accidentibus, colore ſcilicet & ſapore aquæ prædita erat, & ita non verè mixta vino, ſed iuxta vinum poſita erat: aliàs dicendum eſſet, accidens migrare de ſubiecto in ſubiectum; quod vniuerſa Philoſophia naturaliter fieri poſſe negat, & propter hoc, nouum miraculum ſine cauſa muliplicare, neq; ipſi Autores audent. Reſtat Igitur, vt ex hac eorum propria poſitione ſequatur, permanſuram ineo caſu veram ſubſtantiam aquæ, cum ſuis veris accidentibus, colore ſcilicet & ſapore, cum quibus, eandem aquam à vino artificioſe, omnino extrahi volunt, & conſequenter inconueniens illud à nobis allatum euidenter

ex eorum opinione deducitur, totum ſcilicet Chriſtum verè & realiter, ſub veris ſpeciebus aquæ contineri.

Confirmatur principale intentum. Si ſpecies vini corrumperentur, & acetum fierent, ſolæque ſpecies aquæ remanerent; ſequeretur tunc, Sanguinem Chriſti deſinere eſſe ſub ſpeciebus vini, & tantum ſub ſpeciebus aquæ cõſeruari: quod certè à nullo catholicorum concedi debet: ergo &c.

Secundo. Ponamus caſum, quod Sacerdos ante conſecrationem, diuino aliquo ſuperno lumine ita illuſtretur, vt illas minimas aquæ portiones diſtinctè intueatur; tunc quæro. An talis Sacerdos poſſet habere intentionem illas conſecrandi? Si affirmatiuè reſpondeant, tunc infero: ergo aqua pura conſecrari poterit, quod eſt hæreticum. Si negent: igitur ſola humana exiſtimatio habet vim, materiam conſecrationi ineptam, & non veram, aptam, idoneam, ac veram reddēdi, quod pluſquam falſum eſt.

Tertio Sequeretur. Eccleſiam poſſe ordinare materias Sacramentorum: cum tamen id Catholicæ veritati repugnet: de fide enim eſt, Chriſtum tantum Sacramenta inſtituiſſe, cui

tantum

tantum excellentiæ poteſtas data, quam neque toti Eccleſiæ, neque alicui eius membro cõmunicauit, vt habet expreſsè ſanctus Thomas. 3. p.q. 64. art. 4. ad 1. vbi ſic ait. *Chriſtus non ex inuidia prætermiſit poteſtatem excellentiæ, miniſtris Eccleſiæ communicare, ſed propter fidelium vtilitatem, ne in homine ſpem ponerent, & ne eſſent diuerſa Sacramenta, ex quibus diuiſio in Eccleſia oriretur, ſicut apud illos qui dicebant, Ego ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, vt dicitur 1. ad Corin. 1.* Sequela eſt manifeſta. Nam admixtio aquę, eſt ex pręcepto Eccleſiæ, vt habetur ex Trident. Concil. ſeſſ. 22. cap. 17. Sed aqua, vt dicunt Autores oppoſitæ ſententię, eſt materia: ergo ſequeretur Eccleſiam poſſe ordinare materias Sacramentorum.

Quarto. Sequeretur, quod ſi Chriſtus voluiſſet aquam eſſe materiam, male Concilia aſſererẽt vinum ſolum de vite eſſe materiam, ipſumque ſolum conuerti in Sanguinem, quia aqua etiam eſſet materia. Vel ſi Chriſtus Dominus noluit eſſe materiam, ſequitur euidenter, eam in Chriſti Sanguinem non conuerti: ergo &c.

Reſpondent iſti Doctores, aquam eſſe mate-

riam

riam per accidens, ſicut verbi gratia peccata venialia in Sacramento pœnitentiæ, per accidens ſe habent.

Sed hæc profecto reſponſio, nihil omnino veritatis in ſe continet: quod ſic oſtenditur.

Primo. Quia dum à ſacris Concilijs agitur de Sacramẽto Euchariſtię, non fit aliqua mẽtio iſtius materiæ per accidens: ergo abſque vlla ratione & fundamento huiuſmodi materia per accidens, nunc excogitata eſt.

Secundo. Nam Concilia ſimpliciter ſtatuũt, totam ac ſolam ſubſtantiam vini conuerti; ſed vinum eſt materia per ſe: ergo materia tantum per ſe conuertitur.

Neq; exemplum allatum de peccatis venialibus, eſt aliqua ratione ad propoſitum. Nam poteſt quidem aliquis, non ſubijcere clauibus peccata venialia; ſed ſi ſemel ſubiecerit, erunt materia per ſe, ſuper quam abſolutio formaliter cadet: At conſecratio numquam cadit ſuper aquam, etiam iuxta vinum appoſitam in calice. Concilium namq; dum de facto loquitur, cum ex more Sacerdos profert verba ſuper calicem mixtum, docet vinum eſſe, quod conſecratur, & vinum conuerti: ergo aqua

non

non eſt materia per accidens.

Quinto. Sequitur principaliter, quod ſi admiſceatur vino modica aqua roſacea, ita vt euis accidentia recipiat, licet in vinum non transeat, in Chriſti Sanguinem tranſubſtantiari poſſe. Sequela patet. Nam ſubſtantia aquæ roſaceæ, non eſt minus materia, quam ſit ſubſtantia aquæ naturalis, cum vtraque mixta vino ſit moraliter vinum: quod eſt contra doctrinam Catholicam antiquam, ad hæc vſq; tempora deriuatã. Conſimile argumẽtum fieri poteſt ad idem, de cæteris liquoribus.

CAPVT XII.

Eccleſiaſticorum Doctorum, vnanimi conſenſu & autoritate, Vera Sententia probatur.

SVPEREST iam vt antiquam hanc Catholicæ Eccleſiæ Veritatem, multiplici argumentorum genere hucuſque efficaciter cõfirmatam, Eccleſiaſticorum ſcriptorum vnanimi cõſenſu (iuxta Romani Cathechiſmi ſententiam) iure optimo aſſertam, ac demonſtratam eſſe oſtendamus.

Primo

Primo. S. Thom. 3. p. q. 74. art. refert Innocentium iij. cap. cũ Marthæ de celebrat. Miſſarum, excluditque vna cum eodem Pontifice, opinionem ſtatuẽtem aquam verti in aquam, ſeù perſeuerare aquam, ſubditquè hæc verba. *Ideo ſicut ipſe Innocentius dicit, opinio probabilior eſt, aquam conuerti in vinum, & vinum in Sanguinem: hoc autem fieri non poſſet, niſi adeò modicũ apponeretur de aqua, quod conuerteretur in vinũ.* Neque S. Doctor, dum circa hanc rem, opiniones varias recenſet, meminit huius, de tranſitu immediato aquæ in Sanguinem: Ex quo euidenter conſtat, neminem ad ſua vſque tempora, inueniſſe huiuſmodi opinionẽ, quam modo confutamus.

Sequuntur ſanctum Thom. omnes eius diſcipuli, & ſua Dominicana Religio, quæ ſatis aperte hãc Veritatem teſtatur, dum ex ſuo ſacro inſtituto, ſub ipſo Miſſæ exordio, aquam vino admiſcet, vt facilius per totam illam temporis moram, quæ conſecrationem antecedit, in vinum conuerti poſſit.

Secundo. S. Bonauentura in 4. diſtinct. 11. punct. 2. dub. 3. ſic ait. *Reſpondetur ſicut dicit Philoſoph. 5. Metahp. tex. 9. & 1. de gene. tex. 88.*

cum prædominatur vinum, ſoluitur ſpecies aquæ, & cum ſoluta eſt, & conuerſa in vinum, totum eſt vinum & ſic conuerti poteſt: non enim conuerti poteſt, niſi panis, vel vinum. atq; ita Innocentium III. intelligit, vbi ſupra. Imo vero addit. Chriſtum Dominum non conſecraſſe, donec aqua in vinum eſſet conuerſa.

Tertio. Beatus Albertus Magnus in 4. diſt. 12. art. 9. idem docet, ſub his verbis. *Dicendum*, inquit, *Aquam non miſceri, vt materiam, ſed vt ſignum vnionis populi, & abſorbenda à vino, Vnde non eſt miſtio, ſed tranſmutatio aquæ in vinum* ex Philoſoph. lib. 1. de generat. cap. vlt.

Quarto. Alexander Ales. 4. p. memb. 4. art. 1. in fine §. 5. eandem veritatem docens, ſic ait. *Reſpondeo, quod aqua debet apponi in tam modica quantitate, vt abſorbeatur à vino, & non maneat per ſe: aqua enim conuertitur in naturam vini, in ſignum quod gentes erant incorporandæ Eccleſiæ Fidelium*.

Quinto. Angelus de Chiuaſſo, in Summa Angelica, verbo Euchariſtia num. 19. quærens in quanta quantitate aqua ſit apponẽda. *Dic* (inquit) *quod modica aqua debet apponi, maximè ſi vinum ſit debile, vt ſic conuertatur in vi-*

num

num ſecundum probabiliorem opinionem, quod eſſe non poſſet, niſi eſſet modica appoſitio, aliter, ſi apponeretur in tanta quantitate, quod ſoluerentur ſpecies vini, non conficeretur, vt dictum eſt.

Sexto. Autor Compendij Theologiæ lib. 6. cap. 12. ait. *Tam modicum aquæ debet admiſceri vino, quod abſorberi poſſit ab illo, alioquin impeditur conſecratio, ſi vinum ab aqua vincitur.*

Septimo. Baptiſta de Salis in Summa Roſella verbo Euchariſtia ait. *Debet autem apponi ideo parum* (ideſt aquæ) *vt in vinum totaliter conuertatur, alias non conficeretur.*

Octauo. Bartholomæus Fumo, in ſua Summa, Aurea Armilla nũcupata, verbo Euchariſtia num. 11. ſic habet. *Admixtio aquæ in vino, de præcepto in cap. litteras de celebr. Miſs. Et conſecrãs ſine aqua mortaliter peccat, non tamen eſt de eſſentia, nam Græci conſecrant vere, ſecundum Pet. de Palud. & non ponunt aquam. Et debet eſſe aqua naturalis, vt ſupra de aqua, qua conficitur panis, aliter mortaliter peccaret, conficiens ſcienter. Et debet eſſe modica, vt cito in vinum conuertatur ſecund. S. Thom. & Scotum: vnde bonum eſt in principio Miſſæ calicẽ præparare, vt faciunt fratres Prædicatores, vt interim aqua poſſit in vinum conuerti.*

Nono

Nono. Collegium Conimbricenſe, lib. 1. de generat. cap. 10. q. 1. art. 2. hæc habet. *Vinum poteſt ſuo calore, & alijs qualitatibus, quibus præditum eſt, agere in aquam, eiuſque materiam, ad ſuæ formæ introductionem perfectè accommodare, atque ideo ipſam in ſe conuertere. Deinde; quia alioqui, in Myſterio Euchariſtiæ, aqua, quæ in vinum calice contentum, ante conſecrationem infunditur, maneret etiam poſt conſecrationem ſub propria forma; quandoquidem in Sanguinem Chriſti non conuertitur niſi vinum; Cum materia huius Sacramenti non ſit alia, quam panis, & vinum, vt docet Concilium Florentinum, & Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 1. & 3.*

Decimo. Didacus Nugno. 3. p. q. 74. art. 8. concl. vnica, ſic habet. *Aqua debet apponi in modica quantitate, ita vt ſimus certi, quòd ante conſecrationem vertitur in vinum.* Quam doctrina dicit eſſe communem inrer Theologos.

X I. Dionyſius Carthuſianus in 4. diſtinct. 11. q. 3. ait. *Secunda quoq; opinio, verior eſſe videtur, tam ſecundum rationem naturalem, qua modicum aquæ, vino multũ maiori admixtum, abſorbetur ab illo, quam ſecundum Sacramenti iſtius ritum: quia ſi aqua in natura propria remaneret, calix con-*

ſecratus, non eſſet tantum potus ſpiritualis, ſed etiam corporalis.

XII. Dominicus Soto, qui ſacro Concil. Tridentino interfuit, in 4. diſt. 9. q. 1. art. 6. ſic apertè ait. *Certiſſima ſententia eſt, quod aqua prius vertitur in vinum, & ſubinde vinum in Sanguinem:*

XIII. Franciſcus Suarez. 3. p. q. 74. art. 8. diſput. 45. ſect. 4. *Nihilominus* (inquit) *dicendum cenſeo: Aquam non conuerti in Sanguinem, niſi prius in vinum tranſmutetur.*

XIV. Franciſcus Siluius Doctor, ingenij præſtãtia ac virtute clarus, exaggerata ſapientia clarior, Veræ Doctrinæ feliciter tradendæ & conſtanter propugnandæ clariſſimus: in aureis Cõment. ad 3. p. q. 74. art. 8. *Antiquorum.* Inquit *ſententia cõmunis eſt, eam* (ideſt aquam) *non conuerti, in Sanguinem.*

XV. Franciſcus Titelmannus lib. de myſterijs Miſſæ cap. 33. *Sacerdos, aquã vino adiũgit, idque adeò modicè, vt poſſit ſtatim vini virtute in illud transformari, cui adiungitur.*

XVI. Gabriel Biel in 4. citato §. 3. dubitatur. *Reſpondetur* (inquit) *quod aqua vino admixta, primo conuertitur in vinum, & ita totum conuerti-*

uertitur in Sanguinem Chriſti: aqua autem, ſi non dum eſſet in vinum conuerſa, dum Sacerdos conſecrat, non conuertitur in Sanguinem: Ideo debet Sacerdos paululum aquæ apponere &c. docetque hanc eſſe ſententiam indubitatam.

XVII. Gaſpar Galaſius, Luſitanus, de ſacrificio Miſſæ & Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramēto. Querens, Vtrum aqua vino admixta, in Sanguinem conuertatur. Pro parte affirmatiua, quā ſequitur, citat Gabrielem Biel, ſuper canonem Miſſæ lect. 35. litt. K. Et habet hæc verba. *Hanc, communiter ſequuntur Doctores in Theologia, ſcilicet S. Thom. Scotus, & cæteri tamquam indubitatam, ſi tamen ſic intelligatur, quod aqua poſt admiſtionem cum vino, per actiuitatem vini, tranſit & conuertitur in vinum, & facta vinum, conuertitur in Sanguinem Chriſti.*

XVIII. Gregorius de Valentia. tomo 4. q. 2. diſput. 6. de Euchariſtia puncto. 1. in 4. aſſertione, ſic ait. *Aqua illa, quæ vino admiſcenda eſt, modiciſſima eſſe debet, vt expreſſe dicitur in Concilio Florentino: per quod apparet eſſe correctum Concilium Triburienſe Canone. 38. vbi permittebatur, vt ex tribus partibus, tertia eſſet aquæ. Ratio autem noſtræ aſſertionis, præter auctoritatem Con-*

XXI. Henricus Henriquez, in ſumma, lib. 8. de Euchariſtia, cap. 12. litt. D. *Modicum aquæ, vt ſexta pars, per mixtionem cum vino, intra breue tempus alteratur, & in vinum conuertiur.*

XXII. Ioannes Azor p.p. inſtitut. moraliũ lib. 01. cap. 30. quæſit. 3. *An aqua in Chriſti Sanguinem conuertatur,* ſic reſpondet. *Communis eſt Theologorum opinio, in 4. d. 11. non quidem conuerti per ſe ipſam proximè, ſed prius mutari in vinum, & deinde vinum, in Sanguinem conuerti. Nam cũ parum admodum aquæ, infundatur, vinum, afficitur ipſius vini qualitatibus potentioribus, ac proinde propriam formam ammittit, & mutatur in vinum: ſicut etiam, ſi minimam vini guttam, in magnam aquæ copiam inijcias, ſtatim mutatur in aquam. Ex quo fit, vt modica aqua vino permiſceri debeat, vt citius in vinum conuerti queat, & deinde totum in Sanguinem: & eo minus aquæ eſt infundendum, quo vinum eſt debilius, & quo potentius eſt vinum, eo melius fit permixtio. Vt merito proinde cautè facere videantur, qui aquam vino permiſcent, vel in ipſo ſtatim Miſſæ principio, vel rectè ante Euangelij lectionem.* Et infra, quærendo; *quid de aqua fiat, ſi propriam ſuam adhuc formam retineat, dum vinum conſecratur?* Reſpondet. *aquam minimè in*

Sanguinem Christi conuerti, quia ante conſecrationem, non fuit in vinum mutata.

XXIII. Ioannes Bacconius in 4.d.8.q.4.inquit. *Aqua & vinum, quæ commiſcentur, non manent ibi duo, ita quod vnum conuertatur in Sanguinem, & aliud in aquam; ſed quod aqua mixta cum vino, tranſeat in vinum, & ſic aquam cum vino, ideſt vinum quod ſibi aquam incorporauit, & componitur ex vtriſque, tranſubſtantiantur in Sanguinem.*

XXIV. Ioannes Scotus in 4. diſt. 1. quæſt. 7. ſic habet. *Aqua, quæ admixta eſt, non vertitur in Sanguinem, niſi prius ſit conuerſa in vinum, & ita modica eſt apponenda, & ſic tempeſtiuè, quod poſſit conſecrationis tempore verſa eſſe in vinum.*

XXV. Ioannes Gerſon de Sacramento Euriſtiæ lib. 4. ſic ait. *Quamuis enim aqua ſit de neceſſitate Sacramenti, non tamen adeo eſt de neceſſitate, quia tunc ſine ea fieret Sacramentum in ſpecie vini: cuius ratio ex hoc habetur, quia ſi aqua vino admiſceatur ad hoc, quod inde conficiatur, oportet ita modicam eſſe, vt abſorbeatur aqua à vino, vt totum ſit vinum, & tunc inde conficitur, vnde prius tranſit aqua in vinum, quam inde conficiatur.*

Ioan-

XXVI. Ioannes Maior in 4. d. 11. q.2. ſic ait. *Vino autem debet apponi aqua, quia, ex latere Chriſti emanauit aqua, non de neceſſitate Sacramẽti, quia ſine ea vinum conficitur, ſed de neceſſitate miniſtri; nec ſufficit aqua cadens in vite, nec poſita in dolio, ſed quando in calicem infunditur vinum, mutatur ante conſecrationem. Quare ſi celeriter presbyter celebret, vt quando ſolus cantat, tunc minus aquæ imponere debet, & quantumcumque parum aquæ imponitur, ſeruatur myſterium, & certius eſt de corruptione eius in vinum.*

XXVII. Ioannes Tabienſis, in ſua ſumma Tabiena, verbo Euchariſtia. nu. 23. idem docet, dum ait. *Ex his patet, quod melius ſit quando calix præparatur in principio Miſſæ, quia eſt maius tempus, vt perfectè conuertatur aqua in vinum.*

XXVIII. Ioannes Viguerius in ſumma de Sacramento Euchariſtiæ cap. 16.§.4.verſic.2. ſic ait. *Secundum conſuetudinem Eccleſiæ generalis, plus vini, quam aquæ in calice eſt ponendum, oportet enim aquam in vinum, & vinum in Sãguinem conuerti: hoc autem fieri non poſſet, niſi adeò modicũ poneretur aquæ, quod conuertatur in vinum.*

XXIX. Martinus Alphonſus in Candelabro aureo, tractatu de Euchariſtia, quæſito 45. vbi quærens, *quanta aqua ſit in vino miſcenda?* Reſpondet, *hoc non eſſe determinatum, ſed tantum, quod aqua, ſit in tali quantitate miſcenda, quod tempore conſecrationis, ſit in vinum conuerſa.*

XXX. Michael de Palatio in 4. d. 11. diſput. 3. *Iubetur* (inquit) *in Florentino Concilio, modicitas aquæ apponendæ, vino conſecrando: & huius rei ratio hæc eſt, vt quando calix Domini conſecrandus accedat, iam aqua à vino ſuperata, conuerſa ſit in vinum tranſubſtantiandum in Sanguinem Domini.*

XXXI. Nicolaus Maſcardus Epiſcopus, diſcurſ. 13. in fine primę partis, poſt relatum capitulum, *Perniciosius*, ait. *La raggione è, che ſe l'acqua fuſſe in maggior quãtità, conuertirebbe il vino nella ſua ſoſtanza, ſi come eſſendo in minor quantità l'acqua, ſi conuerte in vino, & il vino in Sangue.*

XXXII. Petrus Ledeſma in ſumma, tract. de Euchariſtia cap. 8. concl. 8. ratione 2. Hiſpano idiomate ſic ait. *La ſegunda razon es, porque el agua no ſe conſagra, ni ſi puede conſegrar, ſi no es que primero ſe conuierta en vino. Eſta es razon de Sancto Thomas, y de todos los Scholaſticos.*

XXXIII. Petrus de Palude in 4. citato q. 1. in ſine §. Quantum ad ſextum. ſic ait. *Aqua debet apponi in modica quantitate, & ita diù ante conſecrationem, quod fuerit conuerſa in vinum; quia aliter, ipſa manens aqua, non eſt materia Sacramenti, ſed effecta vinum.*

XXXIV. Petrus à Soto, lect. 14. de Euchariſt. ſic habet. *Neque opus eſt ſcrupuloſè inquirere, vbi aqua appoſita maneat? totum enim, quod in calice eſt, vinum eſt, & illud conuertitur in Sanguinem Chriſti.*

XXXV. Petrus Tartaretus in 4. d. 11. q. 7. ſic ait. *Apponere aquam vino, non eſt de neceſſitate Sacramenti: cuius ratio eſt, quia licet apponatur, non conuertitur in Sanguinem, niſi prius conuertatur in vinum.*

XXXVI. Riccardus de media villa, in 4. citato, diſtiuncula 3. q. 3. *Reſpondeo* (inquit,) *quod illa aqua, aut ante conſecrationem Sanguinis eſt conuerſa in vinum, & ſic dico, quod totum conuertitur in Saguinem: non enim conuerti poteſt in Sanguinem, niſi prius conuertatur in vinum, & ita debet poni in tali proportione, quod probabile ſit, ipſam in vinum conuerſam eſſe, antequam conſecretur.*

Silue-

XXXVII. Silueſter Prierius, in ſumma, Verbo Euchariſtia, q. 3. docens materiam conſecrationis calicis, eſſe vinum vitis, quia in eo Chriſtus confecit, & propriè dicitur vinum, & communiter in potum: ſubdit. *Et aqua naturalis miſcenda eſt, inſtante oblatione, in tam parua quantitate, vt in vinum conuerti poſſit.*

XXXVIII. Stephanus Durantes, de ritibus Eccleſiæ, lib. 2. cap. 28. dum docet modicam aquam eſſe ponendam & ob rationes allatas à S. Thoma 3. p. q. 74. art. 8. Alexandro de Ales 4. p. q. 32. &c. ait. *Inter has autem rationes eſt, vt aqua in vinum vertatur.*

XXXIX. Summa Piſanella verbo Euchariſtia, ſic habet. *Debet autem apponi ideò parum, aquæ, vt in vinum totaliter conuertatur, aliàs non conficeretur.*

XXXX. Valerius Reginaldus p. 1. praxis fori pœnitentialis, lib. 29. num. 26. & 27. docet *miſcendam eſſe modiciſſimam aquam, vnde, vt inquit Suarez ſect. 3. qualibet guttula aquæ poteſt eſſe ſufficiens, tam quia ſufficit ad ſignificationem, cum ſit vera aqua ſenſibilis; quam, quia eo erit certius, quod illa non poſſit vinum corrumpere, ſed potius illa poſſit in ipſum conuerti.*

Vincen-

XXXXI. Vincentius Beluacenſis in ſpeculo hiſtoriarum lib. 8. cap. 29. ſic dicit. *Apponenda eſt vero* (ideſt aqua) *in tam parua quantitate, quod poſſit abſorberi à vino, quia Chriſtus non mutatur in Eccleſia, ſed Eccleſia mutatur in Chriſtum.*

Hanc eandem Catholicam veritatem, vniuerſi Doctiſſimi Theologi, tam ſuperioris, quam præſentis ſæculi, corde tenent, ore, & calamo indubitanter, & coſtanter docent; & oppoſitam opinionem vt falſiſſimam, contra communem Eccleſiaſticorum Doctorum ſententiam damnant. An verò, propterea, Temeraria, dicenda ſit, nolumus in præſenti decernere. Qui tamen hoc ſcire contendunt, Doctiſſimũ Magiſtrum noſtrum Bannes. p. p. q. 1. art. 8. dub. vlt. concl. 2. audiant. *Quando* (inquit) *in aliqua ſententia circa rem grauem, communiter Scolaſtici conueniunt, argumentum faciunt, adeò probabile, vt illis contradicere, Temerarium valde ſit. Nam in ſacris Concilijs, ſemper habetur ratio earum opinionum, quæ inter Theologos, Scholaſticos, communiores ſunt, & magis receptæ vt patet ex Clementina vnica, de ſumma Trinitate, & Fide Catholica &c. Idipſum habet*

2.2. quæstion. 11. art.2. Idem etiam docet Cano. lib. 12. de locis cap. 11.

CAPVT XIII.

Probatur noſtra Sententia peculiariter, Autoritate Cardinalis Baronij.

CONSVLTO in aſſerenda autoritate Cardin. Baronij, ſpeciale hoc Caput conficimus; quoniam ex profeſſo, ex eiuſdẽ formalibus verbis demonſtrare intendimus, ipſum noſtram tenuiſſe ſententiam, neque in locis à præfatis Theologis allatis, eorum opinioni vnquam adhæſiſſe.

Primus locus Cardinalis Baronij, habetur tomo 12. circa annum Domini 1188. vbi referens epiſtolam quandam Gaufredi, in qua à Card. quodam Albanẽſi, tũc Papæ Vicario, reſponſum petebat, circa quandam quęſtionem, nouitèr in Gallia exortam. An ſcilicet aqua in calice vino apposita, remaneret aqua poſt factã conſecrationem: An vero ſimul cum vino (ideſt prius in vinum conuerſa) in Sanguinem Domini tranſiret. Quod referens Cardinalis Baro-

Baronius, ſic ait. *Quid autem reſcripſerit ad petitam conſultationem Cardinalis Epiſcopus Albanenſis, non inuenimus, ſed aliud reſcribere non potuiſſe certum eſt, quam quod credidit, & cuſtodiuit ſemper S. R. E. nimirum aquam ſimul, & vinum tranſubſtantiari in Sanguinem Chriſti*. Cum autem Eccleſia Romana, ſemper crediderit & cuſtodiuerit, aquam vino appoſitam in calice, prius in vinum tranſire, & deinde ſimul cum vino, in Sanguinem tranſubſtantiari, vt manifeſte patet ex locis ſupra citatis, præcipuè ex Cathechiſmo Romano; ideo credendum plane eſt, hunc eundem omnino eſſe ſenſum Cardinalis Baronij, quando ait, *aquam ſimul & vinum, tranſubſtantiari in Saguinem Domini*. Patet ergo, tunc temporis ſolum fuiſſe controuerſum, An aqua remaneret aqua, vel potius prius in vinum conuerſa, tranſubſtantiaretur in Sanguinem Chriſti; non autem, An immediatè aqua in Sanguinem tranſiret: quia de hoc, in præfata epiſtola, nulla fit mentio: quod certè, ſilentio non præteriret, ſi de immediato tranſitu aquę in Sanguinem Domini diſputaretur. Nam ſicut Gaudifredus, in dicta epiſtola referens controuerſiam, ait, nonnullos

aſſerere,

aſſerere, aquam remanere aquam; Alios vero affirmare, talem aquam non remanere aquã, ſed ſimul cũ vino, in Sanguinem Domini conuerti: Ita dicere debuiſſet: Alios affirmare, aquam immediatè tranſubſtantiari in Sanguinem Domini. Vt autem euidenter vnuſquiſque hoc iudicare poſſit, referam hic verbatim ſingula, quæ habet Cardinalis Baronius loco citato: ſic enim ipſe dicit, pagina mihi 812.

Poſt hæc: idem Gaufredus, eundem Cardinalem reddidit certiorem, de ventilata nuper in Gallijs quæſtione: aſſerẽtibus alijs, in Sacroſancto Miſſæ ſacrificio, aquam vino mixtam mutari in Chriſti Sanguinem: alijs verò negantibus: Quod enim: vtriuſque partis increbeſcentibus ſtudijs, periculoſum eſſe poſſet, ne (vt ſolet accidere in his) obſtinatio pareret hæreſim, de his conſulendam Apoſtolicã Sedem, more maiorum, Gaufredus exiſtimauit, hanc ad eundem Cardinalem ſcribens Epiſtolam.

Amantiſsimo Domino, & P. A. Dei gratia Albanenſi Epiſcopo, & Domini Papæ Vicario. Frater Gaufredus de Claraualle, minimus id, quod eſt.

Quia ſemel cœpi, loquar ad Dominum meum, ſuper verbo etiam altero. Cum vobis opportunum

fuerit,

fuerit, veſtrum deſiderans obtinere reſponſum. Ad partes enim Galliæ, ſicut nobis, hoc anno cum veſtra benedictione reuerſus, nouam & mihi hactenus inauditam, ventilari inter aliquos reperiri quæſtionem de ſubſtantia aquæ, quæ vino mixta, in calice ſimiliter offertur; Et An & ipſa ſimiliter cum eodem vino, in ſanguinem Domini conuertatur? Nec mediocris eſt inter modernos Theologos ſuper eadem quæſtione diſſenſio, negantibus alijs, alijs affirmantibus, totius liquoris mixti, ſicut panis, qui ex ſimila, & aqua ſimiliter conficitur, vnam fieri tranſubſtantiationē. Et affirmantium quædam aſſertio eſt, nullatenus eſſe credendum, quod in calice Domini purum fuerit vinum, præſertim cum in regione illa, ſic habeatur in vſu commixtio aquæ; vt de ſapientia quoque legatur, quia miſcuit vinum; nec niſi mixtum, in illis maximè regionibus facile ſoleat propinari. Aiunt etiam, quod dum ſubſtantia aquæ, quæ ad conficiendum panem miſcetur ſimile poſt conſecrationem aqua non maneat: incongruum fere videtur, vt mixta vino, ſimiliter in conſecratione non mutetur. Poſtremo cum elementa quatuor, Ignis, aeris, aquæ, & terræ, ſupernus artifex ſic coniunxerit, vt non tam elementa ſimplicia, quod ex eis elementa ſunt, quæ

videntur, ſi ab illa mutatione excipere cœperit alius ignem, alius aerem, alius terram, ſicut iſti aquam excipiunt, non mediocris inde couſuſio conſequeretur. Igitur circa hoc & huiuſmodi affirmantium conuerſionem totius mixti liquoris, qui in calice continetur in ſanguinem Domini ratiocinatio ſtudioſa verſatur. Autoritates etiam quaſdam protulere, quas præſentis ſcripturæ conſumationi duximus reſeruandas. Nam, qui eis ſuper hoc aduerſantur ex nullis antiquorum, ſiuè etiam modernorum ſcriptis, tam euidentia teſtimonia protulere ſuæ aſſertionis. Cæterum innituntur potiſſimum vni verbo, quod principales Sancti in duabus ſpeciebus panis, & vini conſecrationem percipi perhibentes, nullam in verbo illo alicuius diuerſæ ſpeciei aquæ fecerint mentionem. Ad quod reſpondetur eis, quod non conſueuere homines miſturam vini, & aquæ, nec ſi quantitas aquæ præualeat aquam nuncupare, ſed vinum. Præterea calicem Dominus legitur accepiſſe non vinum, quamuis continens Euangeliſta poſuerit pro contento. Sacerdos quoque cum Miſſam celebrat, quid dicere ſoleat attendendum. Similiter poſtquam cœnatum eſt, accipiens & hunc Sacroſanctum calicem, (in quo videlicet continetur vinum mixtũ aqua (benedixit, & dedit diſcipulis ſuis dicens.

Acci-

Accipite, & bibite ex hoc omnes. Hic eſt Sanguis meus &c.

Dicunt aliqui, qui ſub Magiſtro Petro Lombardo dum aduiueret ſtuduere, quod numquam eos docuerit aquæ mutationem; ſed quod eam negauerit neminem audio profitentem, nam in libro ſententiarum eius ſuper eodem Sacramento, autoritates plurimæ continentur, quarum aliquas, aiut illi pro parte ſua; ſed nec ſoluta, nec ſaltim propoſita in eius codice eadem quæſtio reperitur. Opponunt ijdem autoritates, in quibus nihil legitur de mutatione aquæ in Sanguinem, & huic verbo potiſſimum innituntur. Quoniam per Apoſtolos ad ſignificandum plebem vniendam Chriſto, miſceri iuſſa eſt aqua vino. Et reſpondetur eis, quod autores, qui non aſtruūt commutationem, non tamen negant, & proferunt teſtimonia de ſcripturis, in quibus & ijdem ipſi, ſiue alibi reticent, ſiue etiam alibi vini mixti mutationem euidentius aſſeuerant. Cyprianus Martyr. Calix Domini non eſt aqua ſolum, vel vinum ſolum, niſi vtrumque miſceatur, ſicut nec Corpus Dopoteſt eſſe farina ſola, vel aqua ſola, niſi vtrumque fuerit adunatum, & panis vnius compage ſolidadatum. Idem Cypr. Si quis de anteceſſoribus noſtris, vel ignoranter, vel ſimpliciter non hoc ſeruauit, quod

Dominus noſter facere exẽplo, & magiſterio docuit, poteſt ſimplicitati eius indulgentia Domini, venia concedi: non poteſt verò nobis ignoſci, qui nunc à Domino inſtructi ſumus, vt calicẽ Domini cũ vino mixtum, ſecũdum quod Dominus obtulit offeramus. Hieronymus in Marcum. Format Sanguinem ſuum in calice, vino & aqua mixtis, vt alio purgemur à vitijs, & à culpis alio redimamur & pœnis. Ambroſ. in lib. de Sacramentis: Sermone Chriſti hoc conficitur Sacramentum, quia ſermo Chriſti creaturam mutat, & ſic ex pane fit Corpus Chriſti, & vinum cum aqua in calice mixtum, fit Sanguis conſecratione verbi cœleſtis. Auguſt. de baptiſmo. Vnde, & aqua mittitur in calicem, & fit Sanguis conſecratione verbi cæleſtis. Paſcaſius. Aqua conſecratur, non quod aqua permaneat, ſed vertitur in Sanguinem. Hildebertus Cænomanenſis. Aqua in Sanguinem vertitur, vt populus, qui per aquam figuratur, in melius ſe mutatum intelligat. Algerus. Sed licet in mẽſa Domini tria conſtituantur munera, ſunt tamen duo, per quam ſacrificatur, eſt aqua mixta prius vino, ſed quando ſacrificatur, non niſi Sanguis erit, quo anima intus alatur. Cæterum pars aduerſa autoritates priores vtrumque permittit dicens, vinum quod aqua mixtum eſt, ſed non propterea aquam mutari.

mutari. Teſtimonium vero Paſcaſij, quod euidẽs eſt eadem pars contemnit, licet magnum ipſius Beatus Papa Gregorius in lib. Dialogorum perhibeat teſtimoniũ Sanctitati, ſicut Hildebertum aiunt verſificatorem fuiſſe, non Eccleſiaſticorum dogmatum aſſertorem. De Algero dictum, neſcimus hominem, ipſius tamen nullum adhuc comperi librum; & ſancti, vel cuiuſcunque Doctoris autoritatem ſimiliter ſuffragari, ac proinde placeat veſtræ dignationi cum Dominis Fratribus veſtris, ſuper hoc verbo, cum opportunum tempus adfuerit, diligenti collatione tractare, vt autoritas S. R. E. definiat, quid ſuper hoc credi debeat, vel doceri. Hæc Gaufredus.

Quid autem reſcripſerit (inquit Baronius) *ad petitam conſultationem Cardinalis Epiſcopus Albanenſis, non inuenimus, ſed aliud reſcribere non potuiſſe certum eſt, quam quod credidit, & cuſtodiuit ſemper S. R. E. nimirum aquam ſimul & vinum tranſubſtantiari in Sanguinem Chriſti.*

Ex quibus verbis patet ſatis, diſputationem tunc minime fuiſſe, de immediato tranſitu aquę in ſanguinẽ Domini; ſed ſolum, ſuppoſito quod aqua numquam in vinum conuertatur, quærere quid de ea fiat? cui quæſtioni, ipſi (prædicta ſuppoſitione facta.) Reſpondebant,

aquam nullo modo in Chriſti Sanguinem cõuerti; ſed puram aquam remanere, ad euiandum nimirum illud inconueniens, quod prędicti Theologi intẽdebant ex eorum pręſuppoſito deducere, ſcilicet aquam immediatè in Sanguinem tranſire. Nam ſi de immediato tranſitu aquæ in Sanguinem Domini fuiſſet diſceptatio, adeo vt altera pars aſſereret immediatum tranſitum aquę in Sanguinem; vtique de huiuſmodi ſententia mentionem feciſſet Innocentius III. cap. cum Marthę, vbi poſt annos fere triginta ſex, nempe anno 1216. refert de hac materia omnes ſententias, quæ vſque ad illud tempus circumferebãtur. Nam vt infra ex profeſſo oſtendemus, ipſe ibi tãtum recenſet nonnullorũ phyſicorum opinionem, dicentiũ aquam in vinum non cõuerti (Cuius oppoſitũ, aſſerit Innocentius eſſe omnino probabilius) & conſequenter aquam remanere aquam, neque vnquam, explicite aut implicite quidquam meminit huius opinionis de immediato tranſitu aquæ in Sanguinem.

Et quidem ſi talis opinio annis ſuperioribus ſcilicet anno 1188. in Gallia propugnata fuiſſet, & de ea Gaufredus ad Cardinalem Albanũ

ſcripſiſſet, nota fuiſſet Innocentio III. atque adeò ipſe de illa abſque dubio, in præfato capitulo cum Marthæ, mentionem feciſſet.

Præterea etiam, Sanctus Thomas, qui poſt annos fere quinquaginta Pariſijs Doctor, ſcripſit ſuper ſententias Magiſtri: nũquam huius præfatæ opinionis meminit. Signum ergo eſt controuerſiam illam, minime fuiſſe de immediato tranſitu aquę in Sanguinem, ſed tantum in eo, quod aliqui eorum aſſerentes aquam nũquã in vinum conuerti, dicebãt illã remanere aquã: alij vero, quia ex veræ Philoſophiæ principijs aſſerebant, ſemper aquam in vinum conuerti, docebant aquã in vinum iam cõuerſam, in ſanguinẽ Domini tranſubſtantiari, & propterea iſti afferebant autoritates Sanctorum, aſſerentium talem aquam nõ remanere aquã, vt præcipuè habet Paſchaſius vbi ſup. *Nec dubium* (inquit) *quin ſub hoc myſterio bibamus aquã, de qua Dominus: qui biberit aquam* (inquit) *quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Propterea non inconuenienter etiam, ob hoc idem aqua conſecratur, non quod aqua permaneat, ſed vertatur in Sanguinem, vt ſignificet quid Fides percipiat.* In quibus verbis, explicitè qui-

dem dicit, aquam non permanere: non tamen explicitè docet, aquam immediatè conſecrari, ſed tantum ait conſecrari, quia nimirum conuerſa prius in vinũ, mediate tantũ conſecratur & hic eſt verus, ac proprius ſenſus à Paſchaſio intentus. Sed de hoc dicemus exprofeſſo infra.

Ex quo patet, fuiſſe quidem tunc temporis communiſſimam opinionem, aquam nó conuerti in vinum, & ſic in calici appoſitam ante conſecrationem, in ipſum vinum non tranſire; non tamen quod ipſa aqua immediatè in Sanguinem conuerteretur.

Neque alicuius eſt roboris id, quod dicunt, nimirum, Gaufredus docet, vſque ad illa tempora fuiſſe inauditum in Eccleſia, aquam non conuerti in Sanguinem, & eo tempore multi aſſerebant aquam non conuerti in vinum: ergo tunc temporis erat commune aquam conuerti immediatè in Sanguinem. Et quidem verum eſt, vſque ad illa tempora talem quæſtionem non fuiſſe agitatam, & ita inauditum fuiſſe in Eccleſia, aquam nullo modo conuerti in Sanguinem, eo quod aliqui ex falſis principijs Philoſophiæ, arbitrabantur aquam numquam in vinum conuerti; non tamen

men propterea inferebant aquam immediatè verti in Sanguinem, ſed ſolum illam remanere aquam; Vnde aſſerentes conuerti aquam in vinum, eam ſic conuerſam, affirmabant tranſubſtantiari in Sanguinem Domini: negantes verò aquam in vinum poſſe cõuerti, dicebant aquam remanere aquam: nec vnquam inuenitur ipſos aſſeruiſſe talem aquam immediatè tranſubſtantiari in Sanguinem. Quare credi poteſt huiuſmodi opinionẽ, de immediato trãſitu, tunc à nemine vſurpatam fuiſſe; ſed ſicut tunc, vt inquit Gaufredus, inauditum fuit in Eccleſia, quod aqua remaneret aqua, quia (vt inquit Baronius) Sancta Romana Eccleſia ſemper credidit & cuſtodiuit, talem aquam ſimul, & vinum (ideſt aquam in vinum conuerſam) tranſubſtantiari in Sanguinem Domini: ita noſtris temporibus, paucis ab hinc annis, hæc de immediato tranſitu aquæ in Sanguinem opinio, ex eodem falſo principio philoſophico exorta eſt. Nam iſti, ſuppoſito illorum philoſophico falſo fundamento, quod aqua numquam in vinum conuertitur; Inferunt eam immediate tranſire in Sanguinem. Et ne hoc videatur his temporibus inauditum

in Eccleſia, totis viribus conantur oſtendere, hanc eorum opinionem non eſſe nouam; ſed antiquam; iam tunc à Gaufredi temporibus natam, ſed omnino fruſtra, vt hoc noſtro diſcurſu apertiſſime demonſtrauimus.

Sed iam ad alterum Baronij teſtimonium examinandum accedamus. Idem Cardinalis Baronius eodẽ tom. 12. in fine anni 1192. vbi narrans peculiare miraculum, de puella quadam infirma, cui cum fuiſſet delatum à Sacerdote ſacratiſſimum viaticum, particula hoſtiæ conſecratæ, cecidit in vaſculum aqua plenum, & illa aqua tunc miraculosè effecta eſt Sanguis, & hoſtia caro: Poſt quam Baronius hanc narrauit hiſtoriam, ſic ait. *Hæc de tranſubſtantiatione aquæ in Sanguinem Chriſti, per commixtionem corporis diuinitus facta; quod ſemper fieri in vino, cum mixtio intercederet, antiquitas exiſtimauit.* Quorum verborum ſenſus, non eſt quod ſicut illa aqua immediatè diuinitus effecta eſt Sanguis, ita antiquitas exiſtimauerit, aqua vino admixtam in calice, fieri Sanguinẽ. Nam ſi eadẽ deberet eſſe omnino proportio; dicere etiam poſſemus ſenſum eſſe, quod ſicut illa effecta eſt ſanguis miraculosè, abſq; virtute

ver-

verborum cõſecrationis;ita fieret,ſtatim ac eſt cũmixta vino in calice, quod eſt hæreticum. Vnde verus eorum ſenſus eſt, quod ita antiquitas exiſtimauerit, aquam vino admixtã fieri ſan guinem,nimirũ ad eum ſenſum,quo ſup. dixit Eccleſiam Romanam ſemper crediſſe, aquam ſimul & vinum in Sanguinem Domini tranſubſtantiari. In quo etiam ſenſu intelliguntur alia eiuſdem Autoris verba ſubſequentia, ſcilicet. *Confutauit hoc miraculum, hæreſim hoc ſæculo obortam, negantium aquam vino mixtam, mutari in Sanguinem*. Et licet ità ſit; quod aqua vino mixta, & in ipſum prius conuerſa, in Sanguinem Domini tranſubſtantietur; tamen non eſt hæreſis aſſerere, quod ſi talis aqua in vinum non conuertatur, in Sanguinem Domini non mutetur, ſed remaneat aqua; quia id Summus Pontifex Innocentius Tertius,capit. cum Marthæ, vt probabile reliquit: vt patebit legenti prædictum capitulum: Et talis eſt ſenſus Cardinalis Baronij; nam aliàs ipſe videretur contradicere Summi Pontificis doctrinæ.

CAPVT

CAPVT XIV.

Primum argumentum Autorum contrariæ Opinionis, Ex iure Canonico cap. cum Marthæ de celebratione Miſſarum, proponitur, & ſoluitur.

IN POSTREMA hac noſtri Opuſculi parte, reliquum eſt, vt argumenta, quibus cõtrariæ Patroni, adeò facile conuincuntur, afferamus, & faciliori negotio ſoluamus. Ex his præcipuum, illud eſt, quod *ex cap. Cum Marthæ, de celebratione Miſſarum* deſumunt, vbi Innocentius III. tres refert Opiniones de conuerſione aquæ, in conſecratione Sanguinis, inter quas, eam iudicat eſſe probabiliorem, quæ aſſerit aquam, cum in vinum eſt conuerſa, in Sanguinem traſmutari, vt expreſſius eluceat proprietas Sacramenti: in quo per aquam vino miſtam apertè ſignificatur populus Chriſtianus Chriſto incorporari. Ex quibus deducitur, quod dum Sanctiſſimus Pontifex cenſet ſecundam opinionem eſſe cæteris probabiliorem, illas probabiles reputat: aliàs

nomen

nomen illud comparatiuum *probabilior* otioſè poneretur:eoq. magis,hũc eſſe Innocentij ſenſum oſtenditur, quia ipſe non videtur eorum opinioně approbare, qui aſſerunt aquam vino admixtam, mutari in vinum: tum quia ſimpliciter docet verti in Sanguinem: tum etiam, quia dicit Phyſicos contrarium aſſerere, dum affirmant aquam à vino per artificium ſeparari poſſe. Igitur Innocentius probabilem ſaltem iudicat opinionem aſſerentium, aquam non verti in vinum ob rationes allatas,& conſequenter videtur cenſere probabile, quod aqua immediatè in Sanguinem conuertatur.

Sed vt euidentius appareat, quantam vim probabilitatis habeat hoc præcipuum horum Autorum argumentum, operepretium cenſeo, ſapientiſſimi Pontificis verba hic aſſerre, vt vnicuique, ex eius clariſſimis verbis, apertè veritas conſtare poſſit.

Quæſiuiſti (inquit) *etiam. Vtrum aqua cum vino in Sanguinem conuertatur: ſuper hoc autem opiniones apud Scholaſticos variantur. Aliquibus videtur, quod cum de latere Chriſti, duo præcipuè fluxerint Sacramenta,redemptionis in Sanguine,& regenerationis in aqua: in illa duo,vinum & aqua,*

quæ

quæ commiſcentur in Sanguine diuina virtute mutantur, vt in hoc Sacramento plenè ſit veritas, & figura. Alij verò tenent, quod aqua cum vino tranſubſtantiatur in Sanguinem, cum in vinum tranſeat mixta vino: licet phyſici contrarium aſſeuerāt, quia aquam à vino per artificium, poſſe aſſerunt ſeparari. Præterea poteſt dici, quod aqua non tranſit in Sanguinem, ſed remanet prioris vini accidentibus circumfuſa, ita quod vini ſaporem aſſumit, quod inde conuincitur, quia ſi poſt calicis conſecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem uon tranſit in Sanguinē, nec Sanguini commiſcetur, ſed accidentibus prioris vini commixtum, Corpori, quod ſub eis latet vndique circumfunditur, non mandidans circumfuſum: ipſa tamen accidentia vinum appoſitum videntur afficere; quia ſi aqua fuerit appoſita, vini ſaporem aſſumit. Contingit igitur accidentia mutare ſubiectum, ſicut & ſubiectum contingit accidentia permutare: quippe natura miraculo, & virtus ſupra conſuetudinem operatur. Sed nec inconueniens creditur, aut abſurdum, ſi aqua in Corpore Chriſti eſſe credatur, cum legatur de ipſius latere proceſſiſſe &c. Verum inter opiniones præditas, illa probabilior iudicatur, quæ aſſerit aquam cum vino in Sanguinem tranſmutari, vt expreſſius

eluceat

elu:eat proprietas Sacramenti; nam cum aquæ multæ ſint populi multi, iuxta quod alibi legitur. Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas: ideo vino aqua vnitur, vt Chriſto populus adunetur: propter hoc enim, quod ſuſcepit ipſe de noſtro, & accepimus ipſi de ſuo, tam inſolubili nexu coniungimur, vt quod eſt vnum cum Patre per ineffabilem vnitatem, fiat vnum nobiſcum per admirabilem, ac per hoc, ipſo communiter mediante, cum Patre vnum efficitur. Pater (inquit) *Sancte ſerua eos; quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos, non pro his rogo tantum, ſed pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me, & vt ipſi in nobis vnum ſint, & mundus credat, quia tu me miſiſti*. Hæc ſunt formalia verba textus. in quibus, nullam mentionem de ſententia oppoſita facit, vt patet. Nam ex tribus relatis ſententijs, nulla eſt quę aſſerat aquam immediatè in Sanguinem conuerti. Vnde ergo oppoſitum tenentes mouentur ad aſſerendum, ſuam opinionem ab Innocentio III in hoc capitulo cenſeri probabilem; dum nimirũ Pontifex ait, *inter has autem opiniones, illa iudicatur probabilior, quæ aſſerit, aquam conuerti in Sanguinem, cum in vinum tranſierit.* Cum enim Innocẽtius dicit, *illa iudicatur probabilior*, poteſt quidem

dem aliqua ratione quodamodo inſerri, duas illas eſſe probabiles; At vero quid hoc ad ipſos ſpectat? Ex quonam capite, aut verbo quidpiã ipſi colligere poſſunt in ſuæ opinionis fauorem? cum illarum duarum neutra ſit, neque implicite, aut virtute in alterutra contineri poſſit, aut ex earum altera, per aliquam conſequentiam deduci? quomodo igitur huiuſmodi Autores ſuam opinionem, Innocentij hac autoritate; probabilem cenſeri dicere poſſunt? Cum id falſum omnino ſit, vt eadem illius capituli verba, hic à nobis fideliter relata, legenti aperte oſtẽdunt. Inueniet enim primam ſentẽtiam ab Innocentio relatam tantum aſſerere vinum, & aquam, in calice ſcilicet conſecrando appoſitam, verti in Sanguinem & aquam, quæ de latere Chriſti Domini fluxerunt. Secundam verò ſententiã reperiet oppoſitum ex diametro aſſerentem. Tertiam demum ſubſtinentium aquam remanere aquam, prioris vini accidentibus circumfuſam: nulla autem ex his, eſt huiuſmodi Autorum opinio, qua nimirum aſſerunt, aquam in vinum numquam cõuerti, ſed immediate in Chriſti Sanguinem tranſire. Imo vero, ex toto Innocentij diſcur-

ſu

ſu manifeſtè contra ipſos colligitur, tempore illius Sanctiſſimi Pontificis, nullum ex Catholicis adhuc, hanc eorum opinionem excogitaſſe de immediata conuerſione aquæ in Sanguinem; cum præſertim Sanctiſſimus Pontifex ex inſtituto, omnes opiniones, quæ ea tempeſtate de hac materia circumferebantur, recenſeret; vnde ſi hæc tunc exſtitiſſet, non eſt vero ſimile, quod eam reticuiſſet.

Prẹterea ſecundo dicitur, Innocentium ſolum approbaſſe ſecundam ſententiam docentium aquam trãſire in Sanguinem, quia prius tranſit in vinum: quam adeò veram reputat, vt tãquam falſum omnino reijciat phyſicum illud experimentum eductionis aquæ à vino, cui, tamquam vni ex præcipuis fundamentis, huiuſmodi Autores ſuam opinionem innituntur: ſic enim Pontifex ait; *licet Phyſici contrarium aſſeuerant, quia aquam à vino, per artificium, poſſe aſſerunt ſeparari.* Quaſi dicat, nec huic veritati obſtat id, quod in contrarium Phyſici aſſerunt, id enim verum non eſt, nec ita res ſe habet, nimirum, quod vi humani artificij, modica aqua vino iam diu commixta, iterum è vino, illa eadem verè & realiter, educi

educi poſſit, ſicut erat, quando vino ſuper infuſa fuit, vel priuſquam vino commiſceretur: hoc enim omnino falſum eſt; etſi contrarium appareat, erit ſenſus illuſio, cui humor ille per artem à vino ſegregatus, ex accidentibus, aliqua ratione, veræ aquæ ſimilibus, videtur vera aqua, eademque prorſus, quæ iam diu vino ſuperinfuſa, & commixta fuerat, & hic eſt ſenſus præfati Innocentij verbis æquiualens. Patet ergo hanc opinionem, de immediato aquę tranſitu in Sanguinem, numquam in Innocentij mentem cecidiſſe, ſiſtendo in vi verborum textus, à quibus non eſt recedendum.

Vlterius dicimus, quod cum Innocentius aſſerat probabilius eſſe, aquam conuerti in Sanguinem, cum tranſierit in vinum; ſimul etiam probabilius cenſet aquam nõ eſſici immediate Sanguinem: imò vero ſi ex eo, cæterę ſententiæ ab Innocentio recenſitæ, cenſentur ab ipſo probabiles, quia hæc de tranſitu immediato aquæ in vinum & poſtea in Sanguinem reputatur cæteris probabilior; certè cum inter illas ea numeretur, quę aſſerit aquam remanere aquam ſecundum ſuam ſubſtãtiam,

proba-

probabilis ab eodem Pontifice cenſebitur. Ex quo amplius contra hos Autores colligitur, tantum abeſſe vt eorum òpinio, ad Innocentij mētem ſit, quin potius oppoſitum omnino ex vtroq. capite euidēter appareat: ex altero nimirum, quia doceat probabiliorem eſſe ſententiam de tranſitu aquæ in vinum, & vini in Sanguinem, & ex altero etiam, ſcilicet probabili opinione ea reputata, quæ aquam remanere aquam ſecundum ſuam ſubſtātiam aſſerit: vnde ex tali capitulo, contrarium omnino horum Autorum opinioni, optime & conformiter ad textum deducetur. Imo idem Innocentius III. lib. 4. de hoc myſterio, cap. 3. ſic ait. *Quibuſdam non abſurdum videtur, quod aqua cum vino tranſit in Sanguinem, ea videlicet ratione, quia aqua per admixtionem tranſit in vinum, & vinum per conſecrationem tranſit in ſanguinem, Quis enim ambigat, aquam in vinum tranſire, cum multo vini, modicum infunditur aquæ, alioquin tota vini ſubſtantia, propter aquæ guttam mutaretur, vt quoddam fiat ex illis confuſum.* Ponderandum eſt, cautè Pontificem loqui, dum ait. Quibuſdam non abſurdum videri, aquam verti in Sanguinem, ea ratione, quia prius tranſit in

vinum, tamqnam diceret, abſurdum eſſe & monſtruoſum aſſerere, aquam verti in Sanguinem, abſque eo quod prius tranſeat in vinum.

CAPVT XV.

Alia duo argumenta eorumdem Doctorum, ex Autoritatibus Concilij Triburienſis, & Sanctorum Patrum deſumpta, proponuntur, ac diluuntur.

POST PRAECEDENS argumentum, in ſuperiori capite à nobis dilutum, magnam vim faciunt contrarij Autores, ad oſtẽdendam ſuæ opinionis probabilitatem, in quadam autoritate, cuiuſdam Concilij Triburienſis, in Germania celebrati anno 895. opera Attonis Archiepiſcopi Moguntini, preſente Arnulpho Rege, tempore Formoſi Papæ, vt notat Cardinalis Baronius, anno 895. In quo Concilio Canon. 19. ſic ſcribitur. *Credimus & confirmamus, ne vllus ſine commixtione vini, & aquæ, myſteria ſacra conficiat, ſed vt duæ partes ſint vini, quia maior eſt maieſtas Sanguinis Christi, quam fragilitas populi: Tertia aquæ, per quam intelligitur infirmitas humanæ naturæ.* Ex quibus verbis hoc argumẽtum deſumunt. Tertia pars aquę,

quę

quę in calice debet poni iuxta Concilium Triburienſe, non poteſt prius conuerti in vinum, propter quantitatis magnitudinem, & adeo breuem temporis moram: ergo neceſſario dicendúm eſt, ipſam conuerti in Sanguinẽ, aliàs ſi remaneret aqua, præcepiſſet Conciliũ, quod aqua apponeretur, vt remaneret aqua, quod non eſt dicendum: ergo &c.

Verum hoc argumentum, facillimo negotio, nullum oſtẽditur. In primis ex communi, & antiquiſſimo Eccleſiæ vſu, quo ſemper conſueuit modiciſſimam aquam vino conſecrando apponere, cui conſuetudini, nullum Concilium, præter allatum, aduerſatur; Præterea quid refert, aut valet Concilium quoddam nõ vniuerſale nec æcumenicum, ſed Prouinciale ſolum, paucorum, hoc eſt viginti duorum Epiſcoporum, & quod magis eſt, à Summo Pontifice non approbatum, in hac re proponere, & Concilio generali Florentino contrarium omnino ſtatuenti, opponere, in quo apertiſſimè modiciſſima aqua apponenda decernitur? quod etiam à Concilio Tridentino præcipitur, & à Cathechiſmo Romano iubetur, & ab omnibus Catholicis Doctoribus

ribus ſuſtinetur, docetur, & in praxi ita ſeruatur, vt ſi quis Sacerdos, noſtris temporibus, tertiam aquę partem, vino conſecrando admiſceret, male faceret, peccaret, & grauiter puniretur. Quare prædictum Prouinciale Concilium citatum, quantum ad illud particulare de tertia aquæ parte, cenſetur omnino correctum à prædictis ſubſequentibus generalibus Concilijs, atque adeò nullo modo receptum, vt expreſſis verbis, docet inter alios Pater Gregorius de Valentia ſupra citatus.

Conſiderandum enim eſt, Concilium huiuſmodi Triburienſe fuiſſe Concil. particulare ſeu prouinciale, nec approbatum, nec reprobatum à Sede Apoſtolica. Etenim in volumine Conciliorum, non ſolum recenſentur Concilia ſiue Generalia, ſiuè particularia à Sede Apoſt. approbata, ſed etiam reprobata: hoc autem Cõcil. non eſt approbatum, quia tantũ Epiſcopi illi ſubſcripſere nõ vero Pontifex Sũmus Formoſus Papa, vt patet ex 3. tom. Conciliorum, & ex notis eiuſdem Concilij. Similiter Cardinalis Baronius, ſub anno 895. referens hoc Concilium, nullam memorat approbationem Sedis Apoſtolicæ. Et licet Concilium

parti-

particulare, & prouinciale, non appobatum à Summ.Pont.magnam autoritatem habeat; ità vt temerariũ ſit ei nõ acquieſcere; non tamen habet certitudinem Fidei, & ita poteſt errare; ſicut errauit Cõcil. Carthaginẽſe ſub Cypriano, quod fuit nationale, celeberrimum, & legitimum, Epiſcoporum octuaginta quinq. quorum plerique Martyres, aut Confeſſores fuere, vt patet ex Epiſtola Cypriani ad Iubaianum: Idipſum etiã conſtat, ex quinta Synodo Romana ſub Symmaco Papa, vbi legimus, Concilia Prouincialia, quia præſentiam Papæ non habent, valitudinem perdidiſſe. Ita notat Card.Belarminus expreſſis verbis, tom.1.controuerſ.lib.2. de Conciliorum autoritate.

Aliud argumentum formant prædicti Autores, ex modo quodam loquendi, à ſanctis Patribus in hac materia vſurpato. Solẽt enim SS. Patres abſolutè dicere, vinum & aquã offerri, conſecrari, & in Sanguinẽ Chriſti conuerti, vt facit S.Ambroſ.lib.4.de Sacramẽtis cap.4.*Vinum* (inquit) *& aquà in calicem mittitur, ſed fit Sanguis conſecratione verbi cæleſtis*, & cap. 5.*Calix eſt vini & aquæ plenus, vbi verba Chriſti operàta fuerint, Sanguis efficitur*. Eodem fere lo-

quendi modo vtitur Paſchaſius cap. 11. de Corpore, & Sanguine Domini. *Aqua* (inquit) *conſecratur, non quod aqua permaneat, ſed vertatur in Sanguinẽ.* Algerus lib. 1. de de Sacramẽtis cap. 19. *licet prius miſtice, vinum & aqua miſceatur, poſt conſecrationem tamen, non niſi Sanguis bibitur. Chriſtus enim* (inquit Theodoretus dialogo 1.) *Sanguinem, id quod in calice infuſum, & commixtum eſt, appellauit.* Et Damaſcenus lib. 4. cap. 14. *Fitquè vinum* (inquit) *& aqua, Sanguis Chiſti.*

Haud multum inſudandum eſt, in ſolutione huius argumenti. Nam cum SS. Patres dicere ſolent, vinum & aquam conſecrari, & in Sanguinem conuerti: ſenſus eorum eſt, vinum aqua mixtum, quod iam in ſe aquam trãſmutauit, & quod vinum aqua mixtum nominari conſueuit, in Sanguinem conuerti: ipſi enim ſemper ſupponunt, vim potentioris agentis naturalis, vini ſcilicet, agere quantum poteſt, in modicam illam aquam, media alteratione, eamque in ſui ſubſtantiam conuertere, quod certè ſemper per ſe fit, & raro oppoſitum per accidens contingere ſolet, vel ob exceſſum aquæ, in quo caſu à proportione minoris in-

æqua-

æqualitatis actio fieri non poteſt, actio autē à viuente in v irtute, eſſe debet, ex Ariſt. 1. de generat. Vel ob vini debilitatem propter eandem rationem : Ad effectus autem per accidens, & cauſales, non reſpicit per ſe intentio Doctoris, ſicut nec agentis naturalis.

Quod ſi adhuc vrgeant: prædictos Doctores, à Sanctos Patres, quandoque nominare ſolam aquam: dicimus, ipſos tunc loqui de conuerſione mediata, quod patet euidenter; quia nunquam Catholica Eccleſia vſa eſt ſola aqua ad conſecrationem, ſed aqua vino infuſa, & cum vt ſic, in vinum conuertatur; ideo ipſa dicitur aliquando à Patribus conſecrari, & in Sanguinem Domini conuerti, quatenus, nimirum, ipſum vinum, in quod aqua conuerſa eſt, vere conſecratur, & in ipſum Domini Sanguinem immediate conuertitur, & ſecundum hanc rationem, aqua quodammodo dici poteſt materia huius Sacramenti mediata, quo pacto dicere ſolemus, panem & vinum tranſire in ſubſtantiam aliti; cùm tamen immediate non tranſeat &: explicanda ſunt verba S. Cypriani Epiſt. 63. cūait. *Calix Domini, non eſt aqua ſola, nec vinum ſolum, niſi vtrumq. ſibi immiſceatur,*

 quomo-

quomodo nec Corpus Domini, poteſt eſſe farina ſola, aut aqua ſola, niſi vtrumque miſceatur. Ita in quam intelligi debet, vt de conuerſione mediata aquę in Sanguinem loquatur; ſicut conuerſio aquæ & farinæ in Corpus Chriſti, mediata eſt, cum prius in panem, ambo tranſire debeant. Hic idem prorſus eſt ſenſus omnium Conciliorum, quæ in contrarium afferri poſſunt cum dicunt, vinum aqua mixtum conſecrari, & offerri &c.

CAPVT XVI.

Referuntur, & Soluuntur argumenta, ex quibuſdam autoritatibus S. Thomæ confecta.

QVVAMVIS, ſufficienter vnicuique conſtare poſſet ex locis ſupra relatis, Catholicam hanc, quam docemus ſententiam, propriam veramque fuiſſe Angelici Doctoris mentem; quia tamen præfati Autores, ſuam opinionem S. Thomæ nomine operire conantur, ideo in præſenti cap., quaſdam autoritates eiuſdem Sancti Doctoris, quibus ipſum, in ſuum patrocinium trahere nituntur, ſua veritate, in libertatem vindicabimus.

Primam

Primam Sancti Thomæ autoritatem, deſumunt ex 4. ſent. d. 11. q. 2. art. 4. quæſtiũc. 1. in corpore vbi ſic ait. *Quamuis de aqua, in Euangelio mentio non fiat, quia, non eſt principalis materia in hoc Sacramẽto.* Ex quibus verbis, ſic formant argumentum. Aqua ſecundum S. Thomam, non eſt materia principalis huius Sacramenti: ergo ſaltim, ſecundum ipſum, erit materia minus principalis, nimirum quatenus eſt vino coniuncta, quod idem eſt ac vinum exiſtimata, habens ſcilicet vini colorem & ſaporem, atque adeo, vt ſic conuertibilis erit immediatè in Sanguinem.

Sed ad hoc argumentum, idemmet ſanctus Doctor reſpondet: dum ibidem ad ſecundum, (relatis opinionibus, quæ de hac materia circumſerebantur) hæc verba ſubiungit. *Quæcunque autem harum opinionum ſit vera, aqua non erit materia huius Sacramenti.* Ecce quomodo ſanctus Thomas in quacũque opinione negat aquam, Sacramenti Sanguinis eſſe materiam. Cum vero dicit, propterea in Euangelio mentionem non fieri de aqua, quia non eſt materia principalis, nomine materiæ principalis intelligit materiam neceſſariam, quæ eſt de

neceſ-

neceſſitate Sacramenti, & ſine qua Sacramētum confici non poteſt. Sed dato etiam, quod ex huiuſmodi verbis colligi poſſet, dari aliquā materiam minus principalem; ea tamen non eſſet neceſſaria neceſſitate Sacramēti, quæ ſcilicet conuertatur, & tranſubſtantietur in Sanguinem, ſed tantum neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici, quæ debeat prius in vinum tranſire, ob ſignificationem vnionis fidelium cum Chriſto. Vnde S. Thomas ibi, opinionem de tranſitu aquæ in vinum, & vini in Sanguinem, tamquam veriorem & ſecundum rationem naturalem, approbat, quia (inquit) *Modica aqua vino admixta, quod eſt magis actiuum à vino corrumpitur, & in ſpeciem vini tranſit &c.* vt ſupra cap. 6. in fauorem noſtræ ſententiæ retulimus.

Secundo: adducitur ſanctus Thomas 3.p.q. 74. art. 1. vbi ait, quod ſi modica farina hordeacea, admiſceatur farinæ triticeæ, illa tranſubſtantiātur in Corpus Domini: ego hoc ipsū dicēdum erit de minima aqua vino admixta.

Si reſpondeatur, S. Tho. ideo aſſerere, modicā farinam hordeaceam triticeę admixtā tranſubſtantiari in Corpus Chriſti, quia cum ſit

modica

modica, prius fit farina triticea, ſicut etiã modica aqua vino admixta, prius trãſitin vinum, quam conuertatur in Sanguinem.

Contra inſurgunt pręfati Autores, negando farinam hordeaceam poſſe vnquam fieri triticeam, quantumuis minima fuerit; quia, inquiunt, neutra farina, eſt Corpus liquidum, quorum vnum poſſit agere in aliud, illud in ſe conuertendo, ſicut poſſet contingere in liquoribus. Cum ergo S. Thomas dicat, modicam farinam hordeaceam admixtam farinæ triticeæ, eſſe materiam conſecationis & tranſubſtantiari in Corpus Chriſti, neceſſario intelligendus eſt, quod loquatur de tranſitu immediato.

Huic argumento, facile quilibet ſatisfacere poterit, ſi eiuſdem ſancti Thomæ doctrinam in 4.ſent.d.11.q.2.art.2.quæſtiunc.2. intuebitur: ſic enim ait. *Ad ſecundam quæſtionem dicendum; quod admixtio extranei, duplex poteſt eſſe: vno modo, ita quod extraneum adiunctum ſoluat ſpeciem eius, cui adiungitur, vel trahendo ad ſpeciem ſuam, ſicut ſi amphoræ aquæ adderetur phyalia vini; vel faciendo mediam ſpeciem, ſicut quando vtrumq. æqualiter ponitur, vt æqualitas non acci-*

pi tur

piatur tantum ſecundum quantitatem, ſed ſecundũ proportionem virtutis. Alio modo, ita quod additum non ſoluat ſpeciem, ſed ipſum aſſumatur ad ſpeciem eius, cui additur, ſicut ſi gutta aquæ amphoræ vini aponatur. Si ergo fiat tanta admixtio extranei, quod ſoluatur ſpecies panis triticei, non poterit confici ex pane illo: Si autem adeò ſit parua admixtio, quod ſpecies panis triticei maneat, & illud, quod additur, ad naturam triticei conuertatur, poteſt exinde confici Sacramẽtum. Huiuſmodi autem ſignũ poteſt accipi ex accidentibus, ſcilicet colore & ſapore & huiuſmodi, quia accidentia magnam partem cõferunt ad cognoſcendum quod quid eſt, ſecundum Philoſoph. in 1. de anima Hæc Sanctus Thomas. In quibus verbis adeò manifeſtè ſuam mẽtem declarat, vt nil clarius, vel manifeſtius. Quare hæc duo apud Sanctum Thomam, certa & indubitata ſunt. Alterum eſt, quod ſi farina hordeacea in ſua ſpecie maneat, nullo modo eſt idonea materia conſecrationis: Alterum verò quod ſi ſit modica, cum diuiditur & aſſumitur à magna farina triticea, tunc tranſit in ipſam, & mutat ſpeciem. Ex quibus, in propoſito noſtro, alia duo conſimilia colligi poſſunt, Alterum, quod ſi aqua maneat in ſua ſpecie

nullo modo, hoc eſt nec immediatè, nec mediatè, nec remotè, nec proximè, eſt idonea materia cõſecrationis. Alterum verò eſt, quod ſi aqua modica fuerit, multoquè magis modiciſſima, vt à ſacro Concilio Florentino præcipitur, quando diuiditur & aſſumitur à magna quantitate vini, tunc tranſit in vinum, & mutat ſpeciem. Hanc eandem doctrinam repetit S. Thomas 3. p. q. 74. art. 3. ad tertium, vbi reſpondens ad tertium argumentum, quod erat huiuſmodi. *Permixtio ſpeciem ſoluit, ſed vix inuenitur farina triticea, quæ alterius frumenti permixtionem non habeat, niſi fortè de electis granis ſtudiosè fiat: non ergo videtur, quod panis triticeus ſit propria materia huius Sacramenti.* ſic ait. *Ad tertium dicendũ, quod modica permixtio non ſoluit ſpeciẽ; quia id quod eſt modicum quodammodo aſſumitur à plurimo. Ideo ſi ſit modica admixtio alterius frumẽti ad multo maiorẽ quãtitatẽ tritici, poterit exinde confici panis qui eſt materia huius Sacramẽti. Si verò ſit magna permixtio (puta ex æquo, vel quaſi) talis permixtio ſpeciem mutat. Vnde panis exinde confectus, non erit debita materia huius Sacramẽti.*

Replica vero propoſita, noua non eſt: proponitur enim à ſancto Thom. in 4. ſent. loco

citato

citato,in principio ſolutionis,& ab eodem ſoluitur ibidem: vbi ſic ait. *Vlterius videtur, quod ſi grano tritici admiſceatur aliud frumentum, quod poſſit panis exinde confectus, eſſe materia huius Sacramenti:quia in ſiccis, commixtio non tollit ſpeciem: ſed granum tritici,& alia huiusmodi ſunt ſicca: ergo ſi commiſceantur adhuc manet ſpecies tritici, & ita poteſt inde confici Corpus Chriſti*. Reſpondet S. Thom. *Ad primum ergo dicendum, quod quamuis ſicca, cum integra manent, non amittant ſpeciem ex permixtione: tamen quando diuiduntur, & conficiuntur, ſicut in pane accidit,poſſunt ſpeciem amittere*. Hæc ſanctus Doctor.

Tertium argumentum, educunt ex eodem S. Thoma 3.p. q.74. art. 6. vbi quærit. *Vtrùm aqua ſit vino permiſcenda in Sacramento Euchariſtiæ?* & in argumento. Sed contra, ſic ait. *Sed contra eſt, quod Alexander Papa ſcribit. In Sacramentorum oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur panis tantum,& vinum aqua permixtum,in ſacrificiũ offeratur.* Ex quibus verbis ſic arguitur. Si ante conſecrationem, aqua vino cõſecrando appoſita eſt conuerſa in ipum, iá non offertur vinum aqua permixtũ, ſed vinum ſolum, At hoc opponitur S. Thomæ

& Ale-

& Alexandro: ergo dicendum eſt, in ipſa conſecratione, aquã non eſſe conuerſam in vinũ, vt vinum aqua permixtum conſecretur iuxta mentẽ S. Thom. Si ergo vinum aqua permixtũ conſecratur, non ſolum vinum conſecratur, ſed etiam aqua, atque adeò non ſolum vinum, ſed etiam aqua tranſubſtantiatur in Chriſti Domini Sanguinem.

Hoc argumentum, ſoluitur clarè à ſanƈto Thom. ead.quæſt.art.8. vbi quærens. *Vtrum aqua debeat in magna quantitate apponi*: pro parte affirmatiua, proponit ſecũdum argumentũ, quod eſt huiuſmodi. *Præterea: parua aqua, multo vino admixta corrũpitur, quod autem corruptũ eſt, iam non eſt: ergo idem eſt apponere parum de aqua in hoc Sacramento, & nihil apponere; ſed non licet nihil apponere: ergo non licet parum apponere*. Cui ita reſpondet. *Ad ſecundum dicendum, quod ſi aqua non omnino apponeretur, totaliter excluderetur ſignificatio; ſed cum aqua in vinum conuertitur, ſignificatur quod populus Chriſto incorporatur.* In quibus verbis, clarius docere non poterat, aquam, quæ vino apponitur, in vinum conuerti, antequam vinum conſecretur. Cum verò, iuxta modum loquendi Alexandri ait,

vinum

Vinum aqua mixtum debere offerri, nil aliud ſibi vult, niſi quod illud vinum eſt offerendum, & conſecrandum, cui ante conſecrationẽ modica aqua fuit admixta, & in ipſum conuerſa: ad ſignificandam incorporationem populi cum Chriſto, non autem vult dicere, quod tempore conſecrationis, ſit in calice aqua ſecundum ſuam ſubſtantiam, in vinum non adhuc conuerſa. Neque exiſtimandum eſt, alium fuiſſe S. Thomæ ſenſum in hoc modo loquendi Sanctorum Patrum, quo dicere ſolent, vinum aqua mixtum offerri & conſecrari, ab eo quem ipſi Sancti Patres intenderunt, & nos etiam cum ipſis intendimus, vt in ſolutione conſimilis argumenti, in præcedenti cap. iam oſtendimus.

Quarto arguunt, ex articuli ſexti ſolutione ad ſecundum, vbi videtur ſanctus Thomas apertè concedere, aquam eſſe materiam Sacramenti Sanguinis Chriſti, eo modo, quo aqua eſt materia baptiſmatis: cum enim propoſuiſſet ſecundum argumentum, quod erat huiuſmodi. *Diuerſorum Sacramentorum, diuerſæ ſunt materiæ, ſed aqua eſt materia Sacramenti baptiſmi: ergo nõ debet aſſumi ad materiã huius Sacramenti.*

Reſpon-

Reſpondet. *Ad ſecundum dicendum, quod aqua aſſumitur in baptiſmo, ad vſum ablutionis: in hoc utem Sacramento aſſumitur ad vſum refectionis ſecundum illud Pſalmi: ſuper aquam refectionis educauit me*. Ergo concedit S. Thomas, aquam vino appoſitam eſſe materiam ad vſum refectionis, ſicut aqua eſt materia baptiſmi, ad vſum ablutionis.

Sed, ad hoc argumentũ patet ſolutio, ex proprio ſenſu prædictorum verborũ S. Thomę: nõ enim ipſe ait, aquã eſſe materiam refectionis, ſed aſſumi ad vſum refectionis: tunc autem aqua aſſumitur ad vſum refectionis, quando eſt in vinũ cõuerſa; tunc enim ſolum conſtat aquam reficere, cum ex ſe ipſa naturaliter ad reficiendum apta non ſit, ſecũdum ſuam ſubſtantiam ſcilicet ſpectata: quod autem iſta ſit S. Thomæ mens, patet manifeſte ex alijs locis in ſolutionibus allatis, vbi aperte dicit, talem aquam prius in vinum tranſire.

Quinto tandem arguunt, ex eodem art. 6. in ſolutione ad tertium, quod erat huiuſmodi. *Panis, & vinum ſunt materia huius Sacramenti, ſed pani nihil adiungitur: ergo nec vino debet aliquid adiungi*. Reſpondet S. Thomas. *Ad tertium*

H *dicen-*

dicendum quod panis ex aqua, & farina conficitur, & ideo cum vino aqua miſcetur, neutrum ſine aqua exiſtit. In quibus verbis, videtur ſanctus Thomas docere, quod in vino aqua mixto, nec vinum ſit ſine aqua, nec aqua ſine vino. Ex quo infertur, ſemper aquam admixtam vino, aquam manere: ergo etiam tempore conſecrationis manebit aqua; ſed vinum ita aqua mixtum, tranſit immediatè in Sanguinem: ergo &c.

Reſpondetur: ex præfata ſolutione, totum oppoſitum omnino colligi; comparat enim ſanctus Thomas mixtionem aquæ iam factam vino conſecrando, mixtioni aquæ, factæ farinę triticeæ panis conſecrandi, & oſtendit, quod ſicut neutra harum mixtionum ſine aqua cōſurgit, ita neutra iam facta, caret aqua cōuerſa: neque alius poteſt eſſe eius ſenſus in præfata comparatione, vt patet in exemplo panis, qui licet ad ſui confectionem, aquā farinę admixtam expoſcat: in eo tamen, aqua nullo alio modo manet ſecundum ſuam ſubſtantiam, niſi in ipſam farinam ac panem conuerſa: vt ergo hęc ſimilitudo locum habeat, ita neceſſario aptanda eſt, vt quemadmodum in panis con-

fectione

fectione, farina non eſt ſine aqua, cum ea mediante reſultet panis, qui eſt mixtum ex farina & aqua, quæ in eius confectione in ipſum panem tranſit; ita vinum offerendum in calice ſine modicæ aquæ concurſu fieri non poteſt, ſicut neque aqua ſola ſine vino offerri, facta autem tali mixtione, vinum non eſt ſine aqua, in ipſum ſcilicet conuerſa, quam prius cõuerſam in ſe non habebat; neque aqua eſt ſine vino, ideſt ſeiuncta & ſeparata phyſicè à vino, ſed ipſius ſubſtantiæ vini, ita ſubſtantialiter & intime coniuncta ac vnita, vt in vinum iam tranſierit & cõuerſa fuerit, quod noſtram, & Sancti Thomæ ſententiam magis corroborat.

CAPVT XVII.

Reliqua eorumdem Autorum argumenta refelluntur.

PRAESENS caput, cætera, quę ſuperſunt pręfatorum Autorum argumenta præcipua, vna cum noſtris ſolutionibus complectitur.

Primum eſt, ex maximo, vt ipſi credunt, inconuenienti deductum, nimirum ſi tempo-

re conſecrationis non ſit aqua in vinum conuerſa, remanebit in calice: ergo non poterit abſq. idolatria, totum quod in calice eſt adorari, neque etiam Sacerdos ſi ſumat totum, quod tunc eſt in calice, erit aut cenſebitur ieiunus, eo naturæ ieiunio, quod ad ſumptionem Euchariſtiæ eſt neceſſarium: neque ex eodem capite, poterit huiuſmodi Sacerdos aliud ſacrũ celebrare, etiam in die Natiuitatis Domini, ſicut ſi ablutionem conſuetam ſumpſiſſet.

Nullo negotio, diluitur hæc obiectio, ſicut nullum inconueniens in ea aduerſus nos cõtinetur; nã quis obſecro fideliũ vnquam docuit aut arbitratus eſt, quicquid eſt in calice, eſſe eodẽ modo adorandũ? ſi enim hoc verum eſſet, non ſolũ Sanguis Chriſti ſed etiã ipſam vas calicis eſſet ita adorandũ: imo verò quod maius incõueniens, & abſurdũ eſt, ſicut & impium, feſtucæ, muſcæ, & formicæ &c. cõſimilia, quæ in ipſum calicem, æſtiuo præcipuè tempore, cadere poſſunt, eadem latria adoranda eſſent, ac Chriſti Domini Sãguis: quod nullus fideliũ ſanę mentis dixerit: non ergo totum quod eſt in calice ita adorare debent fideles, cum enim adoratio, fidei reſpondere debeat, illud tantũ

Chriſtia-

Chriſtiani adorare tenentur, ſicut adorant, in quod credunt, admirabilem illam conuerſionem, ſeù tranſubſtantiationem fieri, ſcilicet Chriſti Domini Sanguinẽ vna cum ijs, quæ ex Catholica doctrina, ibi per concomitantiam reperiri exiſtimant; quemadmodum etiam ſi caſu accidat, quod ſubſtantiæ panis, remaneat admixtũ quidpiam farinę hordeaceæ, aut particula aliqua paleæ, vel alterius cuiuſpiam rei, quæ tritico admiſceri vt in plurimum ſolet, quamuis aliquid horum, facta conſecratione, remaneat ſub panis ſpecie occultatum, nullus tamen fidelium quantumuis idiota, ea adorare intendit, ſed id tantum, quod ex vi conſecrationis, in Chriſti Corpus eſt conuerſum, vel ex connexione naturali, aut concomitantia, ibi reperitur.

Neque propterea quod tota illa aqua, vel aliqua eius particula, non ſit in vinum conuerſa, atque adeò neque in Sanguinem, ideo Sacerdos, quicquid eſt in calice abſorbens, ieiunium naturale diſſoluit: vnde iterum, atque iterum, vel in die Dominici Natalis, vel in alijs caſibus ab Eccleſia permiſſis, ſacrum celebrare poterit, cum talis aqua ſumatur per viam Sa-

cramenti, ipſique Sanguinis Sacramento omnino coniuncta, quod poſt primam ablutionem facere non poteſt: nam aqua vel vinum, quo abluitur calix, ſumitur, à ſpeciebus conſecratis prorſus ſeparatum, & ab ipſo Sanguinis Sacramento omnino diſiunctum.

Secundum eſt. Tranſitus aquæ in vinum cum fiat mediante motu locali, & alteratione, qui ſunt motus reales phyſici, expoſcunt tantam temporis moram, quantam exigit actio illa, qua vinum in aquam agit ad eam in ſe conuertendam; ſed multoties, tam exigua eſt mora intercedens inter admixtionem aquę, & conſecrationem, vt non videatur phyſicè talis conuerſio fieri poſſe, ſi præcipuè vinum non ſit generoſum, vel aqua modicitatem conſuetam excedat: ergo in tali caſu tempore conſecrationis, aqua non eſt conuerſa in vinum.

Augetur magis vis huius argumenti, ex Chriſti Domini facto, in quo ſatis euidenter conſtare poteſt ita contigiſſe: habemus enim ex Euangelica hiſtoria, ipſum ſtatim ac infudit vinum calici, conſecraſſe, ſuiſque diſcipulis in cœnaculo conſtitutis id ipſum diſtribuiſſe: ergo cum in modiciſſima illa temporis mora,

tale

tale vinum, aquam in ſe conuertere non potuerit, clarum eſt in Chriſti Domini facto, quod eſt huius Sacramenti inſtitutio, aquam in vinum conuerſam non fuiſſe, & conſequenter cum nō remanſerit aqua, immediate in ipſum Chriſti Domini Sanguinem tranſijſſe.

Confirmatur ſecundo. Nam inſtitutio huius Sacramenti, non expoſcit totum illud tempus, quod eſt à commixtione vini, & aquæ vſque ad conſecrationem: ergo non per ſe ad eam exigitur, ſed per accidens, nimirum ob Eccleſiaſticas illas cęremonias, quibus talis Sacramenti confectio, ab Eccleſia fieri conſueuit: ergo ille tranſitus aquæ in vinum, qui toto illo temporis ſpatio fit, erit prorſus accidentalis, & conſecratio totius vini aqua mixti, abſque eo temporis interuallo fieri poterit, & ſic aqua non erit conuerſa in vinum. Quis enim prohibet, quin Sacerdos, ſtatim ac vinum cum aqua in calice appoſuit, immediate abſque vlla alia præcedentia conſuetarum cæremoniarum cōſecret? vel quia tempore ſolito, aut offertorij, aut introitus Miſſæ, ex obliuione vinum aqua mixtũ, in calice ponere ommiſerit; vel quia ob aliquam neceſſitatem, ſiue mortis alienæ, aut

propriȩ periculum, huiuſmodi cȩremonias reliquerit: vel demum quia abſque ipſius Miſſæ celebratione, tale vinũ aqua mixtũ conſecrauit? In quibus caſibus moraliter poſſibilibus, aqua non erit conuerſa in vinum: ergo immediate in Sanguinem; cum aqua non remaneat, vino in Sãguinem iam conuerſo, vt etiam ſanctus Thom. iuxta Innocentij mentem docet.

Satisfit clare huic argumento, dicendo motus illos, localem & alterationis, ob vini generoſitatem, & vim actiuam, non indigere tanta temporis intercapedine, ad modiciſſimam illam aquam, in ſui naturam & ſubſtantiam conuertendam; ſed breuiſſima mora totam illam tranſmutationem confici poſſe, poſt factã mediante motu locali, illius modicæ aquæ diuiſionem in minimas portiũculas: talem enim diuiſionem, ſtatim ſequitur conuerſio ſecundum bonam Philoſophiam; dummodo ſit à proportione maioris inæqualitatis. Quod ſi vinum, ex ſui natura nõ ſit, vi actiua ad talem conuerſionem neceſſaria, præditum, ſed debile, vel nimis craſſum, atque adeò neque aquam vincere, aut per ipſam diuidi poſſit, vel denique tanta frigiditate extrinſeca ſit ob-

ſeſſum,

ſeſſum, vt talis conuerſio non ſit poſſibilis, potius abſque vllo ſcrupulo concedendum eſt, in talibus caſibus aquam remanere aquam; ex quo nullum ſequitur inconueniens, vt in ſolutione ſuperioris argumenti oſtendimus, quã ex huius negatione ad eas anguſtias ſe redigi ſinere, vt contra materiæ Sacramenti veritatem, aſſeratur ipſam aquã, immediate in Sanguinem conuerti, veramque conſecrationis materiam eſſe, quod non ſolum eſt verum inconueniens, ſed etiam maximum.

Ad primam confirmationem Reſpondet Sanctus Bonauent. in 4.d.11.2.p.diſtinct. art. 1.q.3. Chriſtum Dominum non conſecraſſe calicem, donec aqua in vinum fuiſſet conuerſa, neque oppoſitum exiſtimandum eſt, cum ſacra Concilia, quæ à Spiritu ſancto reguntur, & in ſacrorum Decretorum, ac Canonum editione, peculiari quadam motione agũtur, adeò diligenter, & exactè, aquæ vino admiſcendæ modicitatem ordinaſſe, niſi ob hanc potiſſimum rationem, ſcilicet neceſſarij tranſitus in vinum: quam certè, non alia de cauſa ab eiſdẽ allatam eſſe credendum eſt, niſi quia huiuſmodi Sacramenti inſtitutor ita fecerit, cur

enim

enim, in cæteris omnibus, ad Euchariſtiæ Sacramenti eſſentiam, & ſubſtantiam, materiam & formam, confectionem, ac intentionem ſpectantibus, tanta diligentia, ac prouidentia voluiſſe conſulere præfata Concilia videmus & fatemur, & ex alia parte ad hãc pręcipuam circumſtantiam, tali confectioni Sacramenti, à Chriſto factæ annexam, reſpexiſſe negabimus? quod certe ſi concedatur vt proculdubio, in bono diſcurſu concedendũ eſt; nulla amplius ſupereſſe poterit difficultas, neq. ab aliquo ambigi poterit, Chriſtum Dominũ ita plane feciſſe: neq. ex ipſa Euangeliſtarum narratione, adeò modicã temporis quantitatẽ metiri, aut momentaneam moram, inter vini admixti appoſitionem, eiuſq. conſecrationem magis colligere, niſi gratis poteſt. At vero nos à poſteriori, firmiſſimo innixi Sacrorum Cõciliorum fundamento, illud temporis ſpatium, ac interuallum, inter appoſitionem, & conſecrationem Chriſti agnoſcimus, & docemus, quod conuerſioni aquæ in vinum, neceſſariũ fuiſſe moraliter iudicamus.

Ad ſecundam Confirmationem: damus libenter, illud temporis ſpatium, quod à com-

mixtione

mixtione aquę vino factę, vſq. ad conſecrationẽ intercedit, ex Eccleſiaſticis cęremonijs cauſari, nec per ſe ad Sacramenti ſubſtantiam abſolutè requiri: negamus tamen conuenientem aliquam temporis moram, conuerſioni aquæ in vinum proportionatam, non eſſe ſimpliciter, ad confectionem Sacramenti Sanguinis, neceſſariam, neceſſitate pręcepti; quamuis hęc certa non ſit, an tanta ſcilicet, vel tanta, nec maior, nec minor eſſe debeat; ſed indeterminata, maior ſcilicet minima, vel ſupra minimam: propter quam forte rationem, conſulto exiſtimandum etiam eſt, Eccleſiam, tot cæremonias ab offertorio, vel ab introitu, vt ab alijs fit, vſq. ab conſecrationem interpoſuiſſe, vt nimirum tantũ temporis ſpatiũ, ad talẽ conuerſionem ſufficiẽs concederetur: neq. hoc voluntarie dicimus, ſed ratione ſatis probabili ducti oſtendimus. Nam cur magis ponitur vinũ in calice aqua miſtum tempore offertorij potius, quam introitus, vel immediate ante conſecrationẽ? profeſſo nulla alia ratio, præter allatam, afferri poteſt: quia nimirum tẽpore conſecrationis, talis cõuerſio naturaliter forte fieri nequit: toto vero illo ſpatio, quod inter offertorium,

rium, & conſecrationem, vel introitum,& ipſam cadit, commode fieri poteſt . In alijs verò caſibus in argumento enumeratis,dicendum abſolutè eſt,talem aquæ in vinum tranſitum fore nullum,ob neceſſarij temporis defectum, vt diximus.

Tertium principale eſt. Conſuetudo humana obtinuit, vt abſoluta mixtione aquæ, vino facta totum illud cenſeatur vinum,per modũ vnius potus vſualis,licet illa aquæ portio ſecũdum ſuam ſubſtantiam,in vinum cõuerſa non fuerit:ergo illud totum, erit idonea materia ad conſecrandum. Conſequẽtia eſt euidens. Nam in primis ex Sanctorum Patrum doctrina, ad conſecrationis materiam nõ requiritur aliud, quam vinum aqua mixtum, ſed hoc ex communi conſuetudine obtinuit,vt nominetur,& ſit propriè vinum aqua mixtum. Etenim ſi ſit facta conuerſio aquæ in vinum, non amplius vinum aqua mixtum, ſed potius vinum ſimplex cenſebitur.

Confirmatur primo à ſimili. Nam materia conſecrationis corporis, eſt ſolum panis triticeus vſualis, quapropter licet in eo contineatur portiuncula aliqua ex farina hordeacea,

illud tamen totum, abſolutè eſt conſecrabile: idque non alia ratione, niſi quia totum illud, eſt per modum vnius cibi vſualis.

Confirmatur idem ſecundo, & magis oſtenditur ex ipſa Chriſti Domini inſtitutione, qui ſuis fidelibus reliquit vinum aqua mixtum, pro idonea Euchariſtiæ materia: ergo otiosè, & inutiliter, talem aquæ in vinum tranſitum, conſecrationi præuium, expectaſſet aut intendiſſet potius quam eiuſdem aquæ in Sanguinem immediatam conuerſionem.

Prẹſens argumentum, multiplici confirmatione roboratum, inter inſigniora à modernis Autoribus affertur: ſed re vera, falſum plane eſt id, quod ipſi tamquam principium certum ſupponunt, nimirum, vinum ad potum vſualem adhibitum, eſſe materiam conſecrationis: ſolum enim vinum, ſecundum ſuam ſubſtantiam vinum manens, eſt vera, & propria materia Sacramenti Sanguinis, vt ex Sacra ſcriptura, & ſacris Concilijs, & Eccleſiæ autoritate ac conſuetudine, hucuſque demonſtrauimus: aliàs enim ſi huiuſmodi eorum propoſitio vera eſſet, quodcumque vinum, cui alius quilibet liquor commixtus eſſet, dummodo

vnum

vnum vſualem potum conficeret,eſſet propria & idonea materiam ad conſecrandum, quod nemo Catholicorum docet. Cum verò SS.PP. in aſſignatione materiæ Sanguinis vtũtur hoc modo loquendi,ſcilicet: vinum aqua mixtum, vinum vſuale: non intelligunt vinum vtcumque mixtum eſſe materiam, ſed ſolum vinum ſimpliciter, & abſolutè, cui aquam admiſcendam eſſe aiunt, quam deinde in Sanguinem conuerti dicunt ex eo, quod mediate & regulariter ita fit. Similiter etiam, cum dicunt vinum mixtum aqua, tranſire aut conuerti in Sanguinem, idem omnino ſibi volunt: nam quamuis aqua,in vinum iam ſit conuerſa, illud tamen vinum, dicitur communi modo loquendi mixtum, ob eam ſimpliciter rationem,quia aquę qualitatibus affectum ac temperatum eſt.

Prima verò confirmatio noſtram ſententiã magis,magiſque confirmat: ſi enim modica aliqua farina hordei,triticeæ commiſcetur,ita vt totum confectum ! ſit verus triticeus panis eiuſdem prorſus rationis ac ſubſtantiæ; erit profecto in tali caſu; vera propriaque materia cõſecrationi apta, ſecus ſi triticeo pani,aliqua

panis

panis hordeacei portio integra, interpoſita remaneret ab eo ſubſtantialiter diſtincta; tunc enim non eſſet vera conſecrationis materia.

Secunda etiam Confirmatio, aduerſus ſuos Autores potius ſtatuitur, & pro Veritate à nobis oſtẽſa & probata proponitur. Etenim Chriſtus Dominus, non inuenitur vnquã inſtituiſſe aquam materiam partialem conſecrationis, cũ vt conſtat ex ſacra hiſtoria, in Euchariſtiæ inſtitutione, non præceperit illã miſceri, vnde nullus fidelium aſſerere poteſt, Chriſtum tradidiſſe poteſtatem conuertendi materiam, quã ipſe non iuſſit apponi; Quare hoc argumento, nihil plane pro oppoſita opinione probatur.

Quartum principale eſt. Illud pronomen (*hic*) quod profertur in verbis cõſecrationis calicis, debet demonſtrare totum liquorem in calice contentum, aliàs forma conſecrationis calicis erit falſa: ergo totus ille liquor, erit Sanguis, atque adeò aqua tranſibit in Sanguinem.

Negatur propoſitio antecedens; Nam ſi vino exiſtenti in calice, eſſet admixtus alius liquor, vel aquæ roſaceæ, vel mellis &c. quis adeò amens eſſet, vt diceret per illud pronomẽ (*hic*) deſignari totum liquorem, in eo con-

tentum,

tentũ,& in Sanguinem; aliàs formã falſificari? Nullus plane.Dicendum igitur eſt. Illud pronomẽ relatiuum, *hic*, non aliud demonſtrare, quã Sanguinem ſub ſpeciebus verè & idoneæ materiæ contentũ,vini ſcilicet,licet aquę particulã admixtam habeat. Vel dici etiam poteſt quod idem eſt, illud tantum deſignare, quod ex intentione Sacerdotis, ſeù Eccleſiæ Chriſti, eſt verè & propriè deſignabile,ſcilicet totũ illud,quod continetur ſub ſpeciebus vini.

Vltimum argumentum principale,eſt à Philoſophia,& experientia ductum: Nam ex philoſophico diſcurſu, & ipſa quotidiana experientia patet, per admixtionem aquę, vinum reddi debilius: ergo ſua virtute, aquam nõ ſuperabit:ergo non conuertet in ſe aquã. Conſequentia patet. Nam ſi aquam in ſui ſubſtantiam traheret, iam in ſuo priſtino robore permaneret, vel ſaltim ex aquæ adiectione ſe ad illud reuocaret, quod veroſimile non eſt,imò contra ſenſum.

Deinde: humano artificio extrahitur aqua ex vino, vt experientia patet, & tradit Plinius lib. 16. naturalis hiſtoriæ, cap. 35. Demeſius Cato,& omnes chymicæ artis profeſſores.

Demum

Demum. In frigidis quibuſdam regionibus, hyemali tempore cernuntur apertiſſimè in medio vini, aquæ guttulę in glaciem cõuerſæ : ergo ex vtroquo capite plane conſtat, aquę guttùlas vino ādmixtas, in propria forma adhuc perſiſtere, neque in vinum conuerti.

Reſpondetur tamen. In primis nos ſupponere vinum in calice poſitum, ſicut in quantitate, ita & in virtute ſemper aquã excedere; vnde bene poterit illas modicas aquæ guttulas ſuperare, atque in ſe ipſum conuertere.

Cum vero arguitur: dum vinũ agit in aquã, & nititur eam deſtruere, atque in ſe ipſum cõuertere; neceſſario aliqualem ſuarum viriũ iacturã facere debet, tũ ob paſſi reſiſtentiam; tũ etiam ob ſuam repaſſionem; cum omne agens in agendo repatiatur; tum demum Nam ſi tandem totã aquæ ſubſtantiam in ſui ſubſtantiam conuerteret, proculdubio ſuam ſubſtantiam augeret, atque etiam ſuas vires, & ſic debilius non eſſet, contra experientiam.

Admittimus libenter vini agentis, & pugnantis virtutem, ex eo conatu magis minuſue debilitari, iuxta maiorem vel minorem vini generoſitatem; numquam tamen, ad tantã

vinum, deperditionem ſeù remiſſionem deuenire, vt aquam ſuperare non valeat; dummodo tale vinum, vt diximus ab initio, proportione ſeruata, aquæ quantitatem & virtutem excedat; Vnde ſi aquam ſuperauerit, certum eſt quod ipſum augebitur, eritque materia propria conſecrationis; quamuis in virtute, non adeo excellens remanſerit ſicut prius, antequã aquam in ſe conuerteret. Ex hoc autẽ, ſubſtantię vini, nouo facto augumento, vna cum viriũ vini refractione, cũ qua remanet vera & propria vini phyſici ſubſtãtia; quomodo inferri poteſt, ergo vinum non eſſet debilius? negatur enim huiuſmodi conſequentia, vini debilitate vna cum eius augumento ſimul compatibili, iam oſtenſa & conceſſa.

Sed de magnifico illo experimẽto, quo aquę cum vino, cui commixta & coniuncta erat diuortium fit, tandem aliquando iudicium feramus cum Sancto Thoma, in 4. d. 11. in expoſitione textus, vbi apertè ait, id quod per huiuſmodi artificium ſeparatur à vino, non eſſe aquam, ſed aqueum quendam humorem, aquæ ſimilẽ, cuius ſignum eſt, quod etiam ex puro vino extrahi poteſt, atque adeò talem

aquam,

aquam, vt veram non admittimus vnde eſſe potabilem negamus.

Quod autem, in quibuſdam orbis plagis frigidioribus, contingat agglaciari guttas aquæ intra ipſum vinum, (ſi hoc verum eſt, vt refertur) id oritur; quia vel non eſt adhuc aqua commixta vino, & cum ſit elementum magis diſpoſitum ad metheorologicám illá impreſſionem in ſe recipiendam quam ipſum vinū; hinc fit vt in glaciem conuertatur ipſa, non vinum; vel ſi id in diuerſorio inter epulas, dū vino in cyatho exiſtenti ſuperinfunditur aqua, hyberno tempore contingat, dicendum id contingere, dum ipſa aqua vino infunditur, ex aeris ambientis nimia frigiditate, vt experientia ipſa, etiam in hyeme, in quibuſdam locis frigidioribus accidere ſolet.

CAPVT XVIII.

Pauli Aresij, philoſophica fundamenta, quibus innixus, aquæ in vinum conuerſionem negat, diruuntur.

QVONIAM, vt initio huius noſtrę tractationis indicauimus, tota oppoſitæ

opinionis ſtructura, nititur falſo cuidam principio philoſophico, nimirum, quod aqua, nũquam in vinum conuertatur: Ex quo eius Auctores inferunt, in cõfectione Sacramenti Sanguinis Chriſti, aquam vino pridẽ admixtã, immediatè in Chriſti Sanguinem conuerti; ideo in hoc vltimo capite, huiuſmodi etiam fundamenta, quæ adducit Paulus Areſius, errore Cammillus, ſupra cap. 2. vocatus, loco ibidem citato, afferenda ſunt, vt ex eorum euerſione luculentius appareat, philoſophicum ac naturale lumen, Theologiæ ac ſupernaturali luci, haud quaquam aduerſari.

Inter phyſica fundamenta, Primum conſtruitur ex varijs Ariſt. autoritatibus, quæ eorũ opinioni fauere videntur. In primis Philoſophus in ſua poetica cap. 23. volẽs excuſare Poetas, quod aliqua minus propriè, aut verè enuncient ait nõ immerito hoc ab ipſis fieri, vt vulgi ſermonem, & cõmunem conſuetudinẽ imitentur: & affert exemplum, vt quando vinum aqua temperatum, vocant ſimpliciter & abſolutè vinum: ergo ſentit Ariſtoteles illud mixtum ex aqua & vino, non eſſe verè totum vinum, non alia ratione, niſi quia aqua non

eſt

eſt in vinum conuerſa; alioquin male diceret Ariſtoteles, Poetas non propriè & verè appellare vinum, illud cui fuit aqua admixta; quid enim refert, quod vel ex aqua vel aliunde ſit genitum, ſi verè eſt vinum?

Præterea: ſecundo de ſenſu & ſenſibili cap. 5. docet: ſolam & puram aquam non nutrire, quia omnia quę nutriuntur, ex ijſdem, ex quibus ſunt nutriuntur; nihil enim ex ſola aqua conſtat, niſi ipſa aqua; ſed ſi aqua conuerteretur in vinum, ipſum vinum nutriret; talis enim conuerſio aquę in vinum, ſi daretur, eſſet nutritio de qua agit Ariſtoteles; loquitur enim de nutritione latiſſimè, nam loquitur de nutritione plantarum: ergo vel dicendum eſt, quod ſola & pura aqua nutriat, contra Philoſophum, vel quod mixta vino, non conuertitur in ipſum: verba autem Philoſophi ſunt huiuſmodi. *Teſtificari autem videtur, & nutrimentum vniuſcuiuſque: omnia enim nutriuntur ex ijsdem, ex quibus ſunt: omnia verò ex multis nutriuntur: Etenim quæcunque viderentur vno ſolo nutriri, vt aqua plantæ, multis nutriuntur, mixta eſt enim aqua, terra, ideò agricolæ tentant cum miſcuerint irrigare*. In quibus verbis manifeſtè Ariſt.

 loqui-

loquitur de nutritione latiſſimè, quia loquitur de nutritione etiam plantarum, quas (inquit) ſola aqua non nutriri, quia ſola aqua non nutrit. Imo ex præfatis verbis, fortius argumentum confici poteſt. Aqua non poteſt deſeruire pro nutrimento vitibus: ergo multo minus poterit conuerti in vinum, eique pro nutrimēto deſeruire. Antecedens eſt Ariſt. ait enim *plantas, aqua pura non nutriri*. Conſequentia verò probatur. Nā ſi aqua eſt inepta ad id, quod eſt propinquius, multo magis erit ad id, quod eſt remotius, & ſi non poteſt eſſe nutrimentum vitis, multo minus poterit eſſe nutrimentum vini, & conſequenter in ipſum conuerti.

Præterea Tertio. Ariſtoteles lib. 1. de generat. cap. 5. tex. 34. ſic diſſerit. *Dubitabit autem aliquis, quid ſit quod augetur. Vtrum cui apponitur aliquid, vt ſi crus augeat, ipſum maius, quod autem auget nutrimentum non. Quare igitur non ambo aucta ſunt; maius enim, & quod, & quo, quemadmodum quando miſcueris aquæ vinum, ſimiliter enim plus vtrumque; an quoniam huius quidem manet ſubſtantia, huius autem non vt ea, quæ nutrimenti, quoniam & ibi dominans dicitur in mixtione vt quod vinum. Facit enim vini opus,*

ſed

ſed non aquæ, vniuerſa mixtura. In quibus verbis querens Ariſt. quid ſit illud, quod augetur, an cui apponitur aliquid, aut quod apponitur? Reſpondet dicendum: crus ipſum eſſe, quod augetur, non cibum; quoniam cruris ſubſtantia manet poſt auctionem, cibi autem non manet: ſecus vero in mixtione aquæ cum vino. vnde patet Ariſtotelem ponere diſcrimẽ inter alimentum, & aquam; nam illud non remanere ait, quia vertitur in ſubſtantiã aliti, hanc vero non ait non manere, cum dicat *vniuerſam mixturam, vini functionem exercere*: non enim ait vinum, ſed mixturam, vt innuat aquã verè remanere, ſed eius vires à maiori copia vini hębetari, ita vt non ſentiantur.

Denique lib. 4. Metheor. ſum. 2. cap. 3. ait: aquam coctioni, & nutritioni ineptam eſſe, quia craſſeſcere non poteſt; ſed ſi conuerteretur in vinum oporteret eam craſſeſcere, quia vinum craſſius eſt quam aqua: ergo &c.

Sed mirum valde eſt, quod huiuſmodi Autores, in ſuæ opinionis patrocinium Philoſophum adducant, & in huiuſmodi eius teſtimonijs vim aliquam faciant; cum ipſe Ariſt. clariſſimis verbis, ſuam de hac re ſententiam

patefecerit lib. 1. de generat. cap. 10. vbi habet hæc formalia verba. *Eorum vero actiuorum & paſſiuorum, quæ facile diuiſibilia ſunt, multa quidem paucis, & magna paruis compoſita, mixtionem non faciunt, ſed augumentationem dominantis. Nam alterum in id, quod euincit verti ſolet, vt gutta vini, decies millenis aquæ menſuris non miſcetur. Etenim forma vini perit, atque vinum in totam aquam vertitur.* Quid clarius, & manifeſtius, ad ſuam mentem aperiēdam dicere poterat? In primis, docet aquam & vinum eſſe mutuo actiua & paſſiua, & ità vnum ab altero vinci poſſe, quando in actiuitate, & virtute exceditur & ſuperatur, atque adeò huiuſmodi poſſe facile diuidi, & ſic demum vnum in aliud conuerti. Docet ſecundo, quod quando vnum nimis excedit, & ſuperat alterum, tunc non fit propriè mixtio, ſed augumentatio dominantis. Tertio tandem docet, quod ſi gutta vini, aquæ in magna quantitate apponatur, tunc non miſcetur, ſed in ipſam conuertitur. Ex quo ſic arguitur. Sed eadem prorſus ratio, imo maior eſt de gutta aquæ reſpectu vini in magna quantitate, & generoſi præcipuè cum vinum habeat magis de actiui-
tate

tate, quam aqua: ergo ſecundum doctrinam ipſius Ariſt. atq. adeò, ſecũdum verã philoſophiam, negari non poteſt, quin vinũ in aquã, & viciſſim aqua in vinum conuerti poſſit, & de facto conuertatur vtriuſque; tamen, debita proportione, agentis & patientis ſeruata.

Sed contra hanc rationem & autoritatem, inſurgunt Autores oppoſitæ opinionis, dicentes quod Ariſtoteles in prædicto loco docet, quod id, quod in aliud conuertitur, non poteſt dici cum eo miſceri: exemplum inferius affert de ligno quod cõburitur, & de alimẽto, quod corpori alito miſceri non dicitur; ſed omnes Sancti Patres, & Doctores (vt ex dictis ſatis conſtat) vno ore affirmant aquam miſceri vino in calice: ergo dicendum eſt ſecundum doctrinam Ariſtotelis quod aqua, etiam modiciſſima, vino in calice appoſita, in ipſam non conuertitur: aliàs talis aqua non miſceretur, ſed potius conuerteretur, & faceret augumentationem dominantis, ſcilicet vini.

Neque valet (inquiunt) dicere, aquam vino prius miſceri, ac deinde in ipſum conuerti; ita vt non quatenus conuertitur, miſceri dicatur, ſed quatenus in priori tẽpore, illi cõmiſcetur;

tur;Quia eadem ratione dici poſſet, ligna igni commiſceri & alimentũ corpori, quia nec lignum, nec alimentum cum Sanguine, nõ minus quã aqua cum vino vnitur, non dicuntur tamen commiſceri, quia terminus vnionis attenditur, quę eſt corruptio alterius extremi.

Huic tamen impugnationi facile ſatisfit: verum enim eſt, quod docet Ariſt. nimirum, id quod alteri miſcetur, cũ eo non dicitur cõuerti: tamẽ cum dicimus aquã cum vino miſceri, ſignificamus aquã tantũ copulari, & diffundi per vinum, quod fit ante cõuerſionem, ſtatim cum apponitur vino: deinde ex eo quia, ſic aqua liquida diffuſa eſt per vinum liquidum, inde fit, vt vinum eſt, quod liquidum maius quantitatiuè, conuertat aquam in ſe; quod quidem dici non poteſt de ligno reſpectu ignis, quia lignum non eſt aliquod liquidum, quod diffunditur per ignem tamquam aliud liquidum, ita nec etiam alimentum &c. & ita bene dicunt omnes Sancti Patres & Doctores, aquam commiſceri vino, quia priuſquam cõuertatur, diffunditur & diuiditur per vinum.

Ad fundamentum vero principale, etiam facile reſpondetur: & ad primam autoritatem

dicendum

dicendum eſt Ariſtotelem loqui manifeſtè de vino temperato, quod magnam quantitatem aquæ in ſe continet, quæ quidem cum non ſit in vinum conuerſa (quia tanta quantitas non poteſt à vino ſuperari) ideo non propriè, tale vinum dicitur ſimpliciter vinum, cum tamen vulgi ſermone, vinum ſoleat appellari: hoc verò non prohibet quin ſit dicendum, Ariſt. ſentire aquam in vinum conuerti; quia aqua tunc ſolum in aliquo caſu in vinum non conuertitur, quando in tanta quantitate apponitur, vt à vini actiuitate ſuperari poſſit.

Secunda etiam autoritas, nihil facit contra nos. Nam verum quidē eſt puram aquam nō nutrire, Ariſtotelemque ſumere nutritionem latiſſime, cum loquitur de nutritione plantarum; nutritio vero latiſſimè accepta, eſt nutritio cuiuſcunque rei viuentis; nutritio autem ſtrictè accepta, eſt ſolum nutritio rei viuentis ſenſibilis; At res non viuentes, cum conuertūt alias res in ſe, nō dicuntur, neque latiſſimè, nutriri; ſicut v.g. aer conuertit aquam in ſe, & è conuerſo; & tamen aer ſiue aqua, nullo modo neque latiſſimè dicitur nutriri. Ariſt. autē non poteſt ita intelligi; quod aqua nullam

rem

rem non viuentem non nutriat, ſi nutritio ſumatur impropriè pro conuerſione vnius rei non viuentis,in aliam rem non viuẽtem; quia pura aqua, vt experientia conſtat,conuertitur in aerem. Ad illud autem quod dicitur de nutritione vitis,negamus conſequentiam,quia eatenus fit conuerſio aquę in vinum, quatenus ſunt liquida miſcibilia, in quibus quod minimum eſt vertitur in aliud maius, vt patet ex doctrina Ariſtotelis, quæ ratio ceſſat in vite, quæ non eſt liquida, nec habet vim conuertendi aquam puram; quia in tantum aqua poſſet vitem nutrire, in quantum vitis poſſet illam in ſe conuertere.

Alia etiam autoritas,noſtræ ſententiæ minime obſtat, imo illi maxime fauet: ait enim Ariſtoteles, illud quod vincit & ſuperat, augetur; vnde quando vinum eſt maius, vincit & ſuperat aquam. Neque obſtat quod ait, vniuerſam mixturam, vini functionem exercere,vocat enim mixturam ex eo quod ille liquor,ex duobus liquoribus mixtis,euaſit vnus liquor, nempe vinum, & ſic vini, non aquę functionem exercet.

Tandem:vltimæ autoritati adductæ ſatisfit, negando

negando minorem: quia aqua non conuertitur in vinum, mediante nutritione vini; cum vinum propriè loquendo, neque ſtrictè, neque latiſſimè, vllo modo nutriatur; & ſic non oportet aquam craſſeſcere; tranſit tamen in vinum media conuerſione, quæ neceſſario requirit præuiam diuiſionem: & diffuſionem eiuſdem aquæ per vinum.

Secundum principale fundamentum, eſt huiuſmodi. Non habet vinum accidentia, quibus corrumpat aquam: ergo non poteſt eam in ſe conuertere. Conſequentia eſt euidens; quia neque poteſt aqua in aliud conuerti, niſi corrumpatur, neque vinum, immediatè per ſuam ſubſtantiam poteſt in eam agere: ergo. Antecedens verò probatur: Vel hæc accidentia eſſent ex illis, quibus formaliter afficitur ſubiectum, nempe vinum, vel ex illis, quę dicuntur eſſe virtualia: Non ex prioribus, quoniam vinum eſt formaliter frigidum & humidum, vt ſenſibus patet: frigus autem & humiditas, cum ſint aquę conſentanea, non poſſunt eam corrumpere; & quamuis dici poſſet, eſſe quoque aliquem gradum caloris in vino, cum non ſit ſummè frigidum:

gidum; tamen hic calor eſt tam tenuis, vt ſicut non denormitat ſimpliciter vinum calidum, ita neque poteſt corrumpere frigus aquę, quod eſt longe potentius: Imò nec illum calorem remiſſum eſſe aquæ corruptiuum, nam longe maior ſæpe in aqua reperitur, abſque ipſius corruptione: ergo etiamſi illum reciperet à vino, non propterea corrumperetur. Et idem dici poteſt de ſiccitate. Quod vero neque per virtuales, præcipuè per calorem, probatur: quia huiuſmodi qualitates, niſi reducantur in actũ ſecundum & fiant formales, nullo modo poſſunt agere, quod patet tum experimento; quia vinum per ſuum calorem virtualem, numquã calefacit, niſi prius à calore naturali excitetur; tum etiam ratione, quia idem ſubiectum non poteſt calefacere, & frigefacere: at ſi vinũ per ſuum calorem virtualem calefaceret, ſimul etiam per frigus, quod formaliter habet, frigefaceret: Præterea: conſtat experientia, aquam vino mixtam non ammittere frigus neque humiditatem, quæ ſunt eius diſpoſitiones neceſſariæ: ergo non eam vinum, ſiue formalibus, ſiuè virtualibus qualitatibus, corrumpit.

Sed, huius fundamẽti, falſum eſt antecedẽs.

Ad

Ad probationem vero dicimus:accidentia corruptiua aquæ, eſſe in vino formaliter; huiuſmodi autem accidentia, ſeù qualitates, non ſunt frigiditas aut humiditas vtcumque, ſed ſunt hæc eadem accidentia ſecundum ſpeciales conditiones & virtutes, quæ ſunt propriæ formæ vini, conſeruatiuæ illius & corruptiuę contrariarum. Non habemus autem propria nomina illarum, quia non cognoſcimus differentias ſpecificas rerum, vnde ſignificamus illas per ordinem ad ipſas formas; ſicut, verbi gratia, dicimus de calore hominis, & de calore ignis: certum eſt enim calorem ignis, eo quod eſt à tali forma, habere ſpecialem virtutem diſtinctam à virtute caloris vt eſt in homine, ratione cuius generant diuerſas formas, quæ quidem virtutes ſic ſumptæ, vt ſunt propriæ mixtorum vel elementorum, non ſunt communes alijs ſed propriæ, ſicut ſunt proprietates, & nō ſe compatiuntur in eodem ſubiecto, ſicut calor ignis non compatitur ſecum calorem hominis; Et hinc eſt, quod vinum potatum ab aliquo, nō habet in eo eumdem effectum, quem cauſat aqua potata: vinum enim calefacit ſtommachum, aqua vero frigefacit, &

habet

habet contrarium effectum : quod non eſſet verum , ſi accidentia propria vini non eſſent diſtincta; & diſtinctæ virtutes ab accidētibus aquæ, & ſic humiditas & frigiditas vini , non ſunt aquę propria,neque aquę cōſentanea,ſed ipſius corruptiua . Ad illud autem, quod dicitur calorem vini eſſe tenuem ; nec potentem corrumpere aquam , quæ eſt potentior in frigiditate, dicimus, vinum agere in aquam intendens in ea producere ſua propria accidentia eo modo,quo ſunt in ipſo vino; hæc autem accidentia , non poſſunt introduci in materiā aquæ,niſi expellantur accidentia,in quibus aqua contrariatur vino,& ſic oportet expelli illa propria accidentia aquæ,& corrumpi aquā: expelluntur vero ab illo tenui calore vini, nō vt ſic accepto , ſed ab illo , vt coniuncto cum alijs proprijs accidentibus vini, vt conſequuntur ad formam vini , ex quibus omnibus ſimul ſumptis fit actio,per quā deſtruitur aqua. Et dato quod calor aquæ ſit maior,calore remiſſo vini ; tamen ex hoc non ſequitur , quod calor remiſſus vini non ſit corruptiuus aquæ , quia,vt dictum eſt,huiuſmodi calores ſunt diuerſi , quatenus ſunt proprij vniuſcuiuſque ,

ſicut

ſicut iam diximus de calore ignis, & de calore hominis: vnde etſi calor ignis ſit remiſſus; tamen non ſolus ipſe corrumpit aquam, ſed ipſe quatenus eſt coniunctus cum alijs proprijs accidentibus. Et idem dicimus ad exemplum de ſiccitate.

Tertium fundamentum principale eſt. Si aqua in vinum conuerteretur, vinum aliquid ſibi acquireret, & conſequenter augeretur; ſed vinum per admixtionem aquæ, nihil ſibi acquirit: nec dici poteſt quod ſimpliciter augeatur: ergo aqua vino admixta, non conuertitur in vinum. Maior cum conſequentia videntur bonæ; Minor probatur. Nam vinum, per conuerſionem aquę, etiam modiciſſimæ, in ſe, aliquid ſui deperdit; Fit enim debilius, vt omnes concedunt, aliàs nemo eſſet, qui aquam ei non miſceret: ergo non poteſt dici quod aliquid ſibi acquirat, & quod augeatur: non enim augetur id, quod aliquid deperdit.

Confirmatur vis huius argumenti. Nam ſi admixta gutta aquæ vino, ipſum nihil deperdit, ſed illam in ſe trāſmutat, & ipſum augetur ergo idem efficiet ſecunda gutta, & idem ter-

tia,& ſic in infinitũ: ergo aliquis poterit guttatim vinum augere in infinitum; ſicut, verbi gratia, ignis poteſt ſimili ratione augeri in infinitum, dum ligna in ſe conuertit: hoc tamen dici non poteſt, quia tandem vinum corrumpetur, vt experientia conſtat: ergo neque poteſt dici, quod nihil vinum deperdat per admixtionem etiam minimæ guttę aquę, & conſequenter etiam dici nõ poteſt propriè, quod vinũ tunc fiat maius, quia hoc propriè dicitur, quando ſine ſui deperditione aliquid eſt in maiori quantitate quam eſſet prius.

Reſpondetur tamen ad argumentum diſtinguendo minorem. Vinum per admixtionem aquæ nihil ſibi, acquirit ſecũdum virtutem concedimus; negamus tamen illam, ſi loquamur ſecundum quantitatem. Ad probationem verò, concedimus quidem vinum fieri debilius per conuerſionem aquæ in ſe; negamus tamen idem vinum ſecundum quantitatem non augeri, per eandem aquæ conuerſionem.

Et ad confirmationẽ in qua nimirum inferebatur vinũ poſſe guttatim in infinitũ augeri, negamus ſequelã, quia cũ per mixtionẽ

fiat

fiat debilius in virtute, licet maius fiat in quã-titate, tãtum poterit debilitari, vt in poſterum tandem, non poſſit aquam in ſe conuertere, ſed corrumpetur ipſum vinum, & tranſibit in aliam ſubſtantiam, ſicut contingit in aceto, quod fit per tranſitum vini in ipſum, ratione deficientiæ virtutis in ſui conſeruationem, vel appoſitionis alicuius corrumpentis. Nec eſt eadem ratio de augumento ignis: quia ignis non debilitatur in ſua actione, nec augetur per mixtionem, aut quaſi conuerſionẽ, ſed per generationem, in materia approximata; vnde ſi aliquid virtutis deperdit in repaſſione in partibus, quibus proximè agit in cõtrarium, facta corruptione ſtatim id recuperat, quod non contingit in vino quod augetur ex aqua illi admixta.

Sed adhuc contra hanc ſolutionem, inſurgunt Autores oppoſitæ opinionis: dicũt enim hæc non poſſe ſimul ſe compati, nimirum vinũ ex vna parte per admixtionem aquæ in ſe debilitari, & ex altera augeri; quia (inquiunt) non poteſt eſſe augumentũ cum ammiſſione & diminutione virtutis: ergo ſi vinum aqua mixtum debilitatur, & virtutem propriam

ammittit & deperdit, non poreſt dici quod tale vinũ augetur: ergo illa duo, dicta, ſcilicet, Vinum per appoſitionem aquæ debilitari, & ſimul idem Vinum augeri, non poſſunt ſimul cohærere.

Reſponderur tamen: Vinum per conuerſionem aquæ, augeri quidem quantitatiuè, quia fit maius, vt experientia conſtat; eo quod occupat maiorem locum, quam antea occupabat: non tamen augetur in qualitate, & virtute; vt ſic enim, aliquid deperdit, & fit magis debile, & minus actiuum; ſicut contingit verbi gratia in aqua calida, cui ſi adiungatur aliqua portio aquæ frigidæ, augebitur in quátitate aqua, & fiet maior quam antea; debilitabitur tamen in calore & actiuitate ad calefaciendum, vt experientia conſtat.

Et ſi rurſus dicatur, non eſſe poſſibile, quod in quantitate aliquid augeatur, & in eadem proportione minuatur in virtute: hoc enim non eſt propriè augeri, ſicut verbi gratia, non fit maior cera, quæ fit longior, ſed eadem fit minus lata: ergo ſimiliter, ſi dicatur quod vinum augeatur ſolum in quantitate, & minuatur in virtute & actiuitate, non poteſt dici

propriè

propriè erit quod vinum augeatur.

Sed huic replicæ facile ſatisfit, ſi dicamus id verum habere, quando augumentum fit à viuente, conuertendo alimentum in ſubſtantiam aliti per intus ſumptionem: quod quidem fit propter maximam virtutem viuentis ad hoc munus deſtinatam; idque etiam tenet quando fit augumentum per additionem partis eiuſdem rationis, vt fit addendo aquam aquę, vbi nulla eſt repaſſio, ſed tantum coniunctio: tunc enim augetur quantitatiuè, & in virtute. Id autem non habet verum, quando fit augumentum per commixtionem contrarij, quod neceſſario debilitat illud, cui miſcetur, & ita poteſt augeri in quantitate, & non in virtute, ſed potius virtute debilitatur, & ita contingit in vino per mixtionem aquæ. Exemplum verò de cera, nihil probat, neque eſt ad propoſitum; quia ibi nulla eſt mixtio nouæ materiæ, ſed tantum eſt raritas, & alteratio, vt tenent communiter Philoſophi.

Etſi prætereà dicant præfati Autores oppoſitæ opinionis, quod ſi ex vna parte concedatur, vinum per aquam appoſitam debilitari ac vires proprias ammittere ſeù deperdere,

licet quantitatiuè augeatur, non poteſt altera ex parte affirmari, vinum habere virtutem conuerſiuam aquæ in ſe ipſum; quod oſtendunt (inquiunt) ex modo operādi naturę, quę nihil fruſtra facit, neque alicui tribuit virtutem aliquam, niſi in ſui vtilitatem; at hæc virtus conuertendi in ſe aquam, eſſet inutilis vino, quia eſſet ad deſtruendum paulatim ſe ipſum: ergo ſi dicatur vinum debilitari per appoſitionem aquæ, ſicut reuera debilitatur, dicendum etiam erit vinum carere tali virtute conuerſiua aquæ in ſe ipſum.

Sed reſpondetur virtutem conuerſiuam aquę in vinum reſidere, quidem in vino tamquam proprietatem illius, ſicut etiam reſidet in ipſo virtus conſeruatiua quantum poteſt, reſpectu ſuorum contrariorum: natura enim prouida, vnicuique rei tribuit virtutem conſeruatiuã, & communicatiuam propriæ formæ; licet maiorem vel minorem, magis vel minus, iuxta naturam formę. Sicut ergo aqua habet iſtam virtutem, & cætera elementa & idipſum etiam conſtat in viuentibus; ita etiã reſidet in vino, ſuo modo. Neque eſt inconueniens, quod in vſu huius virtutis, debilite-

tur

tur vinum, quia hoc eſt per accidens vino ratione repaſſionis: ſicut verbi gratia, etiam per accidens eſt corruptio, quę non eſt intenta à natura, ſed ſequitur per accidens, quia nō poteſt aliàs fieri generatio. Et ſicut potentia nutritiua in homine, non dicitur inutilis, ex eo quod aliquando deficiat, vel debilitetur per ſumptionem maioris quantitatis cibi quam deberet; ita non debet dici inutilis talis virtus conuerſiua aquæ in vinum; licet per illam vinum, & ipſamet eius virtus debilitetur.

Sed adhuc prædicti Autores, id ipſum ex alijs capitibus conantur probare. Primo, quia ſi vinum, in ſe aquam conuertit: ergo viribus eam ſuperat: ergo magis agit, quam repatiatur; ergo plus acquirit, quam ſit illud quod deperdit.

Præterea ſecundo. Quando exceſſus agentis ſupra paſſum, eſt valde magnus, agit & non repatitur, ſed maximus erit exceſſus, quem ſupra guttam aquæ habebit dolium vini plenum: ergo nihil ab ea repatietur: non ergo fiet debilius, ſi gutta ei admiſceatur, quod ſi non fit debilius per primam: ergo nec per ſecundam, vel tertiam, & ſic in infinitum.

Tandem. Quando agens de paſſo victoriam perfectam obtinet, quamuis in pugna aliquid repaſſum ſit: tamen poſt victoriam ſe in priſtinum ſtatum reducit; ita enim aqua priſtinum frigus recuperat. Et ratio etiam id perſuadet; quia repaſſio nihil aliud eſt, ſaltim in non viuentibus, quam receptio alterius contrarię qualitatis, quæ longe minor & debilior eſt in repaſſo, quam fuerat in paſſo, quod eam produxit. Si igitur agens potuit deſtruere paſſum, multo magis poterit ipſius reliquias, ſcilicet qualitatem illius, in ſe receptam deſtruere: ergo quamuis vinum aliquid repateretur ab aqua, tamen ipſa corrupta, poſſet vtique ſe reducere ad priſtinum ſtatum; quare nihil per ipſius mixtionem deperderet.

His autem impugnationibus breuiter ſatisfit. Et ad primam, concedenda eſt prima & ſecunda conſequentia, & diſtinguendum vltimum conſequens, nimirum: ergo vinum plus acquirit quam deperdit; ſi ſermo ſit de augumento ſecundum qualitatem, & virtutem negamus.

Ad ſecundam dicimus: Omne agens quantumcunque maximum, ſi ſit intra ſphe-

ram

ram actiuitatis ſui contrarij debere repati, ſicut dixit Ariſtoteles: Omne agens in agendo repatitur: & ſic vinum in quacunque magna quantitate conſtitutum, per admixtionem guttæ aquæ aliquid repatietur in partibus illis, in quibus fit mixtio: & ita ſi gutta aquę ponatur in dolio vini, ſemper vinum repatitur: erit tamen imperceptibilis repaſſio; licet reuera repatiatur, & debilius fiat.

Ad tertiam dicimus, quod ſi per victoriam perfectã, intelligat deſtructionẽ totalem contrarij nõ ſolum quantum ad ſubſtantiam, ſed etiã quantum ad accidentia, vt contingit in actione ignis circa cõbuſtibile; poteſt concedi illud aſſumptũ. Si verò nomine perfectæ victorię intelligat deſtructionem ſubſtantiæ, vt contingit in conuerſione aquæ in vinum, & in alijs mixtionibus, in quibus corpus quod miſcetur deſtruitur & corrumpitur aliquid relinquens, non eſt verum illud aſſumptum; quia tunc contingit deſtructio, & corruptio ſubſtantiæ, cum permanentia alicuius nouæ qualitatis, imitantis naturam corrupti, & ſic contingit in mixtione vini, & aquæ; & etiam in nutritione, vel augumentatione: taliter

enim

enim conuertitur alimentum in ſubſtantiam aliti, vt relinquat in viuente, quod augetur vel nutritur, conditionem aliquam, & qualitatem, quæ ſapit naturam illius alimenti; & ita ad generandas bonas qualitates in viuẽte, Medici conſulunt ægrotos ad diuerſos cibos ſumẽdos, quia ſciunt ita cõuerti in ſubſtantiã aliti, quod afficiũt ipſum, & relinquũt in eo proprias cõditiones, vel ſaltim imitatrices ſubſtantiæ illorum. Neque eſt ſimile de aqua, reducente ſe ad priſtinam frigiditatem, quam amiſerat: quia aqua ſic reducta, nihil acceperat de ſubſtantia ſui contrarij, ſed tantum ammiſerat frigiditatem: vinum vero, nõ ſolum patitur in accidentibus, ſed recipit in ſe materiam aquæ, quę per mixtionem tranſiuit in vinum, & ſic taliter corrumpitur forma aquæ, quod ſimul afficit ipſum vinum.

Vel ſecundo dicere poſſumus. Aſſumptum vniuerſaliter eſſe falſum: cũ enim duo agentia contraria adinuicem pugnant, licet vnum vincat, ipſum tamẽ remanet debilius, & refractũ, nec poteſt naturaliter ſe reuocare ad priſtinũ vigorem, vt patet in calore naturali, qui ſemper remittitur dum pugnat cõtra cibum,

&

& tandem reſoluitur.

Neque valet dicere, ſi deſtruxit contrarium: ergo poteſt vincere ſuam debilitatem, in qua remanſit, & quæ producta fuit à ſuo contrario; Quia actio fundatur in exceſſu agentis ſupra paſſum: cum ergo vinum ab initio eſſet potentius aqua, vicit illam; cum autem poſtea factum eſt debile, non poteſt vincere ſuam debilitatem.

Tertium Principale fundamẽtum eſt. Accidentia aquæ, manent dum ipſa miſcetur vino: ergo etiam ſubſtantia ipſius aquæ manet. Conſequentia eſt bona: Antecedens verò probatur experientia, quia videmus vinum aqua mixtum participare calorem frigiditatem, & alia accidentia aquę, & clarius id apparet ſi apponatur aqua amara, vel alterius ſaporis, quæ licet minima, totum inficit vinum: ergo &c.

Reſpondetur facile, negando antecedens. Accidentia enim quæ remanent, non ſunt accidentia aquæ, quia non remanet aqua, ſed ſunt accidentia vini, quia per pugnam vinum cum ſuis accidentibus refractum eſt, & ſuffultum ſui accidentibus. Ad probationẽ verò

dicimus

dicimus, id verũ habere, quando multa aqua infunditur vino, quod in tali caſu, ſicut nõ poteſt aquã ita nec eiuſdem accidentia ſuperare.

Quinto Arguitur: ab extremo ad extremum, non fit tranſitus niſi per medium: ergo aqua non poteſt immediatè conuerti vinum, ſed neceſſario prius conuertitur in aliquem liquorem medium inter aquam & vinum; in genere enim liquorum, aqua eſt extremũ imperfectiſſimum, vinũ verò eſt inter perfectiſſima. Antecedens eſt per ſe notum, ſaltim in alterationibus, & corruptionibus, quæ ſucceſſiuè fiunt: nõ enim eſt aliud ſucceſſiue fieri, quam paulatim per media ab vno extremo ad aliud tranſire.

Quod ſi dicuntur, generationem ſubſtantialem fieri in inſtanti, & ita opus non eſſe, quod fiat tranſitus per medium: hoc (inquiunt) non obſtat, quoniam formæ ſubſtantiales ſequuntur accidentia: quare dum magna diſtantia eſt inter duas formas ſubſtantiales, dantur etiam diſpoſitiones mediæ inter earum diſpoſitiones, quę ad mediam formam ſubſtantialem diſponunt.

Sed Reſpondetur facile, prædictam conuerſio-

uerſionem aquę in vinum,non fieri ab extremo ad extremum ſine medio, quia fit media præuia alteratione ex parte aquæ, quæ paulatim corrumpitur, & in ipſum vinum tandem aliquando conuertitur.

Atque, hæc curſim ac rudi Minerua, ex iniuncto nobis Officio, dixiſſe ſit ſatis,vt Antiquam Catholicamque Veritatem, de Præcedentia conuerſionis aquæ in vinum, ad confectionem Sacramenti ſanguinis neceſſariam, Chriſtifidelibus oſtendendam, ac Nouam Oppoſitam, è Catholicorum ſynceris mentibus pœnitus conuellendam, neceſſaria iudicauimus.

Quæ Doctrina, vt ſpeculatiuè à quocunq. fideli firmiter teneri debet, vt in hac noſtra Animaduerſione demõſtrauimus, Ita practicè omnino obſeruandã,omnes illi conſtanter credent, qui cũ Eccleſia Catholica Romana conſentiun:tcuius Antiquus ac Perpetuus Ritus,à Sacerdot:ibus celebrãtibus obſeruãdus, præſcribitur in Sacerdotali, ad conſuetudinẽ eiuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ aliarumque Eccleſiarum, ex Apoſtolicæ Bibliothecæ, & Sanctorum Patrum iurium Sanctionibus

nibus collecto, atq. Summorum Pontificum autoritate multoties approbato, & iuxta Sacri Concilij Tridentini ſanctiones emendato & aucto: Tract. 10. primæ partis, de Sacramento Euchariſtiæ cap. 2. vbi, recitata doctrina Concilij Florentini ſub Eugenio 4. de Modiciſſima aqua, vino ante conſecrationem admiſcenda, hæc verba ſubduntur. *Aqua vero, quæ in calice vino miſcetur, debet eſſe in modica quantitate:* QVIA EAM IN VINVM CONVERTI OPORTET, *& hæc aqua, vino miſcetur propter ſignificationem, quia vinum, Chriſtum ſignificat, & aqua populum. Apponitur autem aqua vino, tum quia Chriſtus, Sacramentum ſuum in vino aqua mixto conſecrauit, vt dicit Damaſcenus l. 4. & quia ex latere eius exiuit Sanguis & aqua, & etiam quia Eccleſia id ſtatuit & præcepit de conſecr. d. 2. cap. cum omne & cap. 1. & licet nouerit Sacerdos, fuiſſe in dolium poſitam; tamen propter ſignificationem, debet aquam in calicem mittere. Et quamuis aqua non ſit de neceſſitate Sacramenti, quia ſi conſecraretur vinum ſine aqua, eſſet Sacramentum; tamen ommittens peccat grauiter, ſi ſcienter ommittit. de conſecr. d. 2. calix. De celebr. Miſſarum cap.*

cum

cum Marthæ, & cap.ſcriptura. de conſecr. d. 2.

Hæc Sacerdotale Romanum. In quibus euidenter conſtat, hanc præcedentem aquę in vinum conuerſionem, iam inde ab ipſius naſcentis Catholicæ Eccleſiæ incunabulis, vt Catholicum dogma, ab ipſa, Chriſti Fidelibus perpetuo tenendum atque obſeruandum traditum fuiſſe.

Ergo quemadmodum quicumque Sacerdos in auguſtiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti Confectione, hunc Eccleſiæ Catholicæ Romanę antiquiſſimum Ritum, inuiolabiliter obſeruare tenetur; ita pariter cum eadem in huiuſmodi tradendo Ritu, aliud fundamentum Rationem & Cauſam, talis legis de modiciſſima aqua, vino ante conſecrationem apponenda, à Concil. Florent. conditæ, non agnoſcat neque aſſignet, quam ſolam neceſſitatem eius præcedentis conuerſionis in vinum, vt manifeſtat per illud verbum, OPORTET, plane & euidenter ſequitur, nulli licitum fore, Eccleſiæ ita ſentienti ac docenti oppoſitum ſentiendo ac docendo aduerſari; multoque minus ad praxim, quidpiam huiuſmodi doctrinæ, ita ab ea nobis traditæ

&

& explicatæ contrarium reuocare, tam in foro conſcientiæ, quam in foro fori, fas erit. Et hic tandem ſit, noſtræ huius breuis Animaduerſionis,

ΕΠΙΛΟΓΟΣ.

LAVS DEO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE